BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 199.

Estante 42
Mod.º 1.ª
Vol. 1.º

PHILIPPI

# BERTERII,

IN REGIS

CONSISTORIO

CONSILIARII,

ET IN SENATV

TOLOSANO

PRÆSIDIS,

## Pithanôn Diatribæ duæ.

Elegantes Diſputationes duæ

*QVIBVS CIVILIS IMPERII*
*Romani Notitia & Eccleſiæ Politia*
*Illuſtrantur.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

TOLOSÆ,
Ex typis Viduæ I. Colomerij, & R. Colomerij : Regis,
atque Vniuerſitatis Toloſanæ Typograph.

M. DC. VIII.

*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

# REGINAE
# MARGARITAE
## VALESIORVM DVCI
### PRINCIPI OPTIMÆ.

FRANCISCI Magni aui tui (Sereniſsima Regina) ſingulare erga literas ſtudium non ita pridem mirum earum in præſtantiſsimis ingeniis amorẽ excitauit: ex qua ſemente magna & ſuperiori & noſtra ætate omnium ſcientiarũ meſsis. Sed Galliæ profectò nunc gratulandum eſt, quòd tanti Principis ſtirpem videat ad ſimilem vir-

tutem propagatam. Tu enim, vnicum domus illius Auguſtæ ſydus, non ſolùm hominibus literatis colluces; ſed ipſas, quod rariſsimũ eſt, literas colis. Hæc mihi & omnibus, qui ſe cum muſis delectant, tuum patrociniũ facilè pollicentur. Verùm meã in primis auget ſpẽ, animóſque addit cùm tuæ beneuolentiæ, tum etiam tuorum in me fratrémque meum Riuẽſem Epiſcopum beneficiorum intimis fixa ſenſibus recordatio: quæ me cunctantem & diffidentem MAIORIBVS IRE PER ALTVM AVSPICIIS

iubet. Nec vereor certè, vt in eo reprehēdi, aut ſubaccuſari poſſim, quòd cum munuſculo hoc literario audeam ad te Principem illuſtriſsimam, tot Chriſtianiſsimorum Regum filiam, ſororem, neptem adire. Nihil enim Romano Imperio & veteri Eccleſiæ politia (de quibus omnis hîc ſermo) maius, auguſtius, & Maieſtati tuæ; quæ eruditæ antiquitatis theſauris mirificè oblectatur, gratius, opinor, offerri poterat. Exiguas tamen pro tanto nomine mihi vires eſſe verecundè agnoſco. Sed quod tenuis non præſtiterit in-

duſtria, potentiſsimus, vt ſpero, genij tui fauor dabit; ſi modò hanc paginam meæ erga te obſeruantiæ & obſequij teſtem placido vultu aſpexeris.

Deum Opt. Max. oro atque obſecro, vt propitius votis annuat, quæ pro ſalute & incolumitate tua volens lubénſque nuncupo.

# PROLEGOMENA
## IN DIATRIBAS
### SEQVENTES.

DE rebus Romanis ſcripſerunt plerique luculenter ſanè & eruditè: ſed nouiſsima Imperij forma, quam à Conſtantino inſtitutam alij poſteà Imperatores tamdiu retinuere, quamdiu maxima & florentiſsima tanti fuit nominis maieſtas, nondum ſatis (ſi verum agnoſcimus) culta & illuſtrata eſt. Atqui multa tamen habet illa præclara, plena dignitatis & gloriæ; quæ in mores etiam noſtros deriuata accuratiùs intuenti facile ſit deprehendere. Ea ſi quis ab ipſis fontibus, & præſertim ex eorum Principum Conſtitutionibus, qui tum Reipublicæ gubernacula tractabant, hauſta & expreſſa in publicum proferat: næ ille non ſolùm de iuris ſtudioſis, ſed de omnibus, qui in foro aliqua cum laude verſantur,

optimè meritus videbitur. Ego quidem vt meam, ſi qua poſſem ratione, Spartam ornarem, cœpi pridem ex antiquitatis penetralibus non infœlici forſitan opera τιμήεντα quædam eiuſmodi eruere κειμήλια. At quoniam mihi planè ſum conſcius nihil vigiliis meis elaboratum perfici poſſe; vix tandem animum appuli ad ſcribendum. Norunt etenim, qui ſe foro addixerunt, ſi quando ad muſas diuertant, quàm faſtidiosè in cœtum recipiantur. Sed viſum tamen periculum facere; ídque à celeberrima illa Romani orbis deſcriptione, cuius author Conſtantinus. Ad quam non temerè, vt arbitror, adiicietur germana & propè gemina Eccleſiæ politia: quæ non χθὲς καὶ πρώην, ſed cum ipſis religionis incunabulis nata εὐσεβεστάτου Principis temporibus fœliciter adoleuit. Habeo ego & alia inchoata iam & affecta: quæ publici iuris fient propediem, ſi me literarum ſtudiis (quod faxit Deus) adiumento fuiſſe intellexero.

In duabus autem his Diatribis, vt breuiter aperiam rationem inſtituti mei, pictorem ſum imitatus eum; cuius in depicta Thebarum

*rum obſidione* σόφισμα *ſic deſcribit eleganter Philoſtratus:* περιβάλλων τοῖς τείχεσιν ἄνδρας ὡπλισμένους, τοὺς μὲν ἀρτίους παρέχει ὁρᾶν, τοὺς δὲ ἀσαφεῖς τὰ σκέλη, τοὺς δὲ, ἡμίσεας· καὶ στέρνα ἐνίων, καὶ κεφαλὰς μόνας, καὶ κόρυθας μόνας. εἶτα αἰχμάς. *Haud ſecus enim, quæ diligenti diſquiſitione egere videbantur, vberiùs & ſubtiliùs explicaui: de aliis, quæ peruagata ſeu parum neceſſaria, egi parciùs: ſumma etiam aliquando rerum faſtigia tantùm delibaui: quædam denique, ne à propoſito recederem, indicare fuit ſatis. Nam hæc, vt doctioribus, ita* ἀμούσοις *& omnium rerum imperitis ſcripta non ſunt. Amo breuitatem; ſed* λακωνίζειν οὐκ ἔστιν ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν, ἀλλὰ περὶ πλείστων ὀλίγας. *In his, quæ iam rectè tradita ſunt, operam conſumere abſurdum; aliena meis intexere periniquum ſemper iudicaui. Meam vbique ſententiam paucis & apertis verbis expoſui: veritatis, quoad fieri potuit, veſtigia ſum perſequutus; conſequutum me ſemper nolim exiſtimare. diuini hoc opus ingenij; in quo ſummũ habitat doctrinæ & iudicij decus. Mihi abundè eſt, ſi nihil ſine probabili ratione aut coniectura dixerim: qui propterea*

Armato milite murum coronans, alios toto corpore extantes, alios crurum tenus, alios parte dimidia videndos præbet; quorundam pectora, capita ſolùm, galeas ſolas; & demum haſtarum cuſpides.

λακωνίζειν non eſt paucis ſcribere, ſed multa paucis comprehendere.

*& P* ITHANÔN *nomen Labeonis clariſsimi Iureconſulti exemplo impoſui iſtis lucubrationibus. Veniam à candido lectore, ſi quid ei diſplicuerit, impetraturum me facilè ſpero. Inſolens reprehenſor certè id vnum de me audiet,* τίς τίνι ταῦτα λέγεις? *ſed nemo herclè, nemo de vnius literæ apice, tanquam de fortunis omnibus dimicantem vnquam videbit: abeſt iſtud à moribus meis, abeſt à natura plurimùm. Viros eruditione conſpicuos & ingenij diuitiis affluentes, eximia potiſsimùm Galliæ lumina, vt Muſas ipſas veneror & colo. Pergite, illuſtres animæ, liberales diſciplinas veſtris laboribus iuuare, ornare, augere. Pertinet ad ſummam fœlicitatem & gloriam Henrici Magni Herculis noſtri;*

Quo duce ſe monſtris exutam Gallia vidit,
Vidit, & auguſtæ ſtupuit miracula dextræ;

*Vt pax tot triumphis ac trophæis parta ornamentis literarum, ſiue quibus triumphales lauri exareſcunt, florentior ad poſteros tranſmittatur.*

# INDEX
# CAPITVM.

## DIATRIBA PRIMA.

### Cap. I.

ROMA, vna olim in orbe vrbs. Eadem omnium ciuitatum metropolis. Sic Conſtantinopolis, cùm nouæ Romæ nomen accepiſſet, omnium ciuitatum caput,& metropolis appellata eſt. Princeps tamen ſemper fuit vetus Roma. Suidas obiter emendatur. Smyrna ſibi quondam colonia,& metropolis. Conſtantinopolis colonia Romana, & quidem iuris Italici. Capitolij nomen ab vrbe Roma ad eius colonias manauit. Omnia tandem Romæ priuilegia Conſtantinopolis adepta eſt. Huius beneficij author videtur Theodoſius primus. Illuſtrantur l. 1. C. Theod. de iur. Ital. vrb. Conſtant. & l. 1. C. de priuil. vrb. Conſtant. Duæ orbis Romani partes, ſeu duo orbes. Vetus Roma Occidentis, noua Orientis Regina.

### Cap. II.

SEptem in Oriente Diœceſes, quæ tractus, & regiones aliquando appellantur. Oriens ſecundus orbis. Diœceſeos Orientis metropolis Antiochia. An hiſtoria de Chriſti imagine in ſeptima Synodo recitata, magno ſit Athanaſio aſcribenda. Ægypti metropolis Alexandria. Aſianæ Epheſus. Ponticæ Cæſarea. Thraciæ Conſtantinopolis. Macedoniæ Theſſalonica. Dacia Vicarium non habuit. Eadem illi primùm cum Macedonia metropolis. Theſſalonicæ Præfectus, de quo Cedreni locus exponitur. Vnum primùm Illyricum, poſteà duplex. Valentinianus III. Orienti Illyricum reddidit. Hilarij locus in libro de Synodis emendatus. Nouella Iuſtiniani xj. illuſtrata. Iuſtiniana prima Daciæ tandem metropolis.

CAP. III.

SEx in Occidente Diœceſes. Mediolanum Italiæ metropolis. Præfectura vrbana aliis dignitate præſtat. Auſonij ea de re verſus in Moſella exponuntur. Præfectus vrbis Senatum, & populum regebat. Summa eius authoritas intra centeſimum lapidem. Suburbicariæ prouinciæ ab Italiæ prouinciis ſeparantur. Omnes tamen in Italia ſunt. Hæc in duas diœceſes diuidenda. Nullum habuit Vicarium Conſtantinopolis. In ea Præfectus prætorio Orientis vice ſacra iudicabat. Illyrici metropolis Sirmium. Africæ Carthago. Galliarum Auguſta Treuerorum. Arelas Septem prouinciarum, hoc eſt, Galliarum metropolis à Conſtantino Tyranno facta eſt. Conſtantini Conſtitutio illuſtrata. Galliarum nomine omnes Tranſalpinæ nationes aliquando deſignatæ. Sidonij Apollinaris locus explicatus. Hincmari ſententia de ſeptem prouinciis refellitur. Emerita Hiſpaniarum, Eboracum Britanniarum metropolis.

CAP. IV.

PRouinciæ omnes Proconſulares, Conſulares, Correctoriæ, aut Præſidales. In diœceſi Orientis quindecim erant prouinciæ. Vetus prouinciarum Index collatus cum Notitia Imperij, & emendatus. Nouella Iuſtiniani xxxj. obiter emendatur. Præſes Syriæ authoritatem habuit olim in Iudæam. Tyrus colonia Romana, & metropolis Conſularis. Berytus colonia, & ſecundæ Phœnices metropolis. Tres primùm Aegypti prouinciæ, poſteà quinque, ſex, & demùm decem. Vtriuſque Aſianæ, & Ponticæ vndecim. Thraciæ ſex. Locus Theodoriti illuſtratur, & exponitur. Sex Macedoniæ prouinciæ. Daciæ quinque. Nouella Iuſtiniani xj. emendatur.

CAP. V.

ITaliæ decem & ſeptem prouinciæ. Has inter non ſunt Alpes Graiæ & Pœninæ. Valeria malè omittitur in indice prouinciarum. Recens eſt hæc prouincia. Vetus Italia: cuius olim terminus Rubicon, poſteà Varus. Emendatur Lucanus. Adnexum Flaminiæ Picenum. Sex in Notitia Illyrici prouinciæ. Septima adiicienda eſt Pannoniæ pars Valeria. Tres Pannoniæ. Præualitana Orientis prouincia, Valeria Occidentis. Africæ ſex prouinciæ. Proconſulares Epiſcopi, & Synodi. Duæ Numidiæ. Emendatur locus ex Synodo Carthaginenſi. Sariana & Anthypatiana prouinciæ reiiciuntur. L. 1. de offic.

Præfect. prætor. Afr. illuſtrata. Septem prouinciæ in Africa à Iuſtiniano conſtitutæ. Duæ Mauritaniæ, Tingitana & Cæſariensis. Septemdecim Galliarum prouinciæ. Duæ Lugdunenſes. Vna Narbonenſis. Auctus earum numerus. Narbonenſis primùm Conſularis. Gallia omnis à Cæſare in tres, & ab Auguſto in quatuor partes diuiſa, ſeptem poſteà prouincias habuit. Quæ poſt Conſtantini Tyranni conſtitutionem in Imperio remanſerant, Septem prouinciarum nomine ab aliis diſtinctæ. Quinque prouinciæ. De his accuratè inquiritur. Vna Narbonenſi olim comprehenſæ. Lugdunum caput Galliarum. Aquitaniæ à Galliis ſeparatæ. Hiſpaniarum prouinciæ primùm tres, poſteà quinque, demùm ſeptem, quæ vetus Quinque prouinciarum nomen retinuerunt. Inſcriptio l. 3. de pagan. & ſacrif. illuſtratur. Hiſpania alter orbis. Britanniarum quinque prouinciæ.

## CAP. VI.

NVlla prouincia ſine metropoli. Hæc ſola vrbs. Ciuitas Iuſtitiæ. Ciuitates maximæ, maiores, & minores. Omnes, ſi metropolim excipias, eodem penè iure vtuntur. Vici, pagi, & caſtella ciuitati, cuius eſt territorium, ſubiiciuntur. Areopagitæ Curiales appellati. Vici ciuitates aliquando imitantur. Presbyteri χωρεπίσκοποι, περιοδευταὶ in vicis & villis conſtituti. Si in vico Epiſcopus inſtitutus fuerit, eo defuncto Eccleſia in priſtinum ſtatum reuocatur. Metrocomiæ matres vicorum. Cephacaſtellum, pagus, caſtellum, burgus. Carcaſſo olim caſtellum. Caſtra inter ciuitates. Manſiones, & mutationes à ciuitatibus diſtinguntur. Regio vniuerſa ciuitatis eſt, fundi poſſeſſorum. Orbis agris diuiſus. Omnes orbis Romani partes.

## CAP. VII.

TΩν πόλεων ξύνωσις. Domicilium Imperij Roma. In ea vrbe ſumma iudicia exercebantur. Princeps δικαστὴς μέγας. Appellationum cognitionem Auguſtus vſurpauit. A Senatu tandem non potuit Princeps appellari. Princeps pars Senatus. Conſultationes. Splendidior Senatorum ornatus. Silentium & conuentus. Pedibus, & porrecta manu ibatur in ſententiam. Vbi Princeps, ibi Roma. Senatus maieſtas. Ab eo Imperium confirmari, bellum indici, & legati ad populos exteros mitti ſolebant. Senatus Proconſules creauit. Proconſules

Auguſti. Senatuſconſulta legis authoritatem habuerunt. A Principe confirmata. Conſulum dignitas. Imperatori Conſulatus erat ornamento.

## Cap. VIII.

IN Diœceſeon metropolibus ius reddebant Præfecti prætorio. Plures ab his diœceſes regebantur. Nullus poſt Principem Præfecto maior. Is prouincialis magiſtratus non erat. Athanaſij locus exponitur. Fuit in quauis diœceſi Præfecti prætorio tribunal. Proprias tamen Præfecti omnes ſedes habuerunt. Summa eorum in alios Iudices poteſtas. Hos penes omnis ciuilis, & militaris annonæ cura. Mandata dabant magiſtratibus. Soli merum Imperium plenè exercebant. Præfectus vrbi vice quoque ſacra iudicauit, & ille ſecundus etiam à Principe. Præfectorum primum tribunal. Vicariorum ſecunda iudicia. Hi Præfectorum partes ſuſtinebant, & ſacrarum cognitionum Iudices fuerunt. Gregorius Nazianzenus illuſtratur. Orientem adminiſtrabat Comes: Ægyptum Præfectus Auguſtalis; qui Proconſulibus & Vicariis pares. Duo in Oriente Proconſules. Iidem Conſules appellati. Aſiæ Proconſul Præfecto prætorij non parebat. Vnus in Occidente Proconſul. Vera Notitiæ lectio aſſeritur. Proconſules vice quoque ſacra iudicabant. Aſia Proconſularis ab Eunapio deſcripta. Præfecti illuſtres. Vicarij, & alij qui eodem munere fungebantur, ſpectabiles. Vltimus clariſſimorum ordo. De appellationibus ad vtrumque Præfectum, ad Vicarios, & alios ſpectabiles. A Præfectis gentium Proconſul Africæ appellatus. A ſpectabilibus prouocatum ad ſummas poteſtates. Ab illuſtribus ad Principem. A Præfecto prætorio appellari non poterat.

## Cap. IX.

PRæſides *μητροπόλεων ἄρχοντες*. Prætura iuriſdictio eſt. Ordinarij Iudices omnes clariſſimi. Conſularibus, Correctoribus, & Præſidibus, par & æqualis poteſtas. Omnes Cæſaris legati. Sacræ delegationes. Proconſules, & Vicarij Præſidibus anteponuntur. Præſides, & omnes qui vniuerſas regunt prouincias, gladij ius habent. Excluditur magiſtratus militaris, & Procurator Cæſaris. Is ſæpè Præſidis partibus fungitur. Præſes poteſt non tantùm gladio animaduertere, ſed alias pœnas legitimas decernere. Deportandi tamen & pro-

ſcribendi poteſtas ei prorſus denegata eſt. Eorum ſententia refellitur, qui Præſides, quorum prouinciis inſulæ comprehenduntur, deportare potuiſſe exiſtimant. Latâ ſententiâ, pœna illata cenſetur. Non omnes ſcelerum formæ, & pœnarum nomina mandatis inſcribi ſolebant. Quare deportandi ius Præſidi denegatum fuerit. Interdictio aquæ & ignis pœna populi Romani, cuius partes Princeps ſuſtinebat. Ius deportandi habent qui vice ſacra iudicant. Vetus inſcriptio illuſtrata. Italiæ Iuridici. Iudices à pœnis, quæ legibus præſcriptæ ſunt, facilè recedere non debent. L. 4. C. de loc. exponitur. Conuentus diœceſeôn in earum metropolibus fiebant. Proceſſus Præſidis. In metropoli mandata Principis proponebantur. Ad metropolim priùs adibat Præſes. Iudices prouinciales, poſtquam eis ſucceſſum erat, à metropoli ante dies quinquaginta recedere non poterant.

CAP. X.

IVdices locorum, Vicarij, τοποτηρηταὶ, loci ſeruatores. Nullus eis in Imperij deſcriptione locus: in qua Præſes minor eſt magiſtratus. Syneſius exponitur. Nulla ciuitas ſine Curia. Album Decurionum, laterculum, κατάλογος. Militum nomina aureis literis in matriculis deſcripta. Album ex priſco marmore. Principales, ſummates, primates, ſeu ſeniores. Curiæ Senatus Romani exemplo inſtitutæ. Senatus appellatio ab his vſurpata. Nicephori interpres reprehenditur. Vetus pœna, vt reus Curiæ traderetur. Curiales cum Senatoribus componuntur. Lex Curiæ, vt plebeius Decurionatu adepto nobilis fieret. Nobilitas à patre cenſetur. Nulla in ordinibus ciuitatum ſanguinis materni ratio, niſi à Principe id conceſſum fuiſſet. Ætas ſenatoria. Imperatores ipſi magiſtratus municipales aſpernati non ſunt. Coloniæ ſimulachra vrbis Romæ. Magiſtratuum Romanorum nomina vulgò in ciuitatibus & municipiis recepta. Magiſtratus municipales proſtrato Imperio Conſules appellati. Annua Decurionum vt plurimùm adminiſtratio, aliquando quinquennalis. L. 1. C. de profeſſorib. & medic. explicatur. Defenſores Syndici dicti. Patres ciuitatum. Nominationes Decurionum, magiſtratuum, & eorum quibus munera ciuilia imponebantur. Ex plebeiorum familiis ditiores in Curiam vocati. Iuliani Imperatoris locus illuſtratus. Poſtulati etiam à populo ſine decreto non admittuntur. De Profeſ-

ſorum, & Medicorum ſalariis & immunitate, ordinis eſt decernere. Reliquæ immunitates à Principe petuntur: hæ plerumque temporales. Curiarum largitiones non prorſus vetitæ. Quædam ex præcepto Præſidis ordini deferuntur. Geſta municipalia. Τῶν πόλεων ἄρχοντες. Magiſtratuum municipalium poteſtas. Multa iuſſu Præſidis exequuntur. Iidem Iudices ab eo dati in cauſis pecuniariis, propria tamen illis iuriſdictio vſque ad certam quantitatem. An multam irrogare potuerint dubitatur. Alia eorum munia indicantur. Defenſores magiſtratus non ſunt. Eorum authoritas, quam auxit Iuſtinianus. Non eadem omnium ciuitatum admniſtratio, nec ſimilis magiſtratuum numerus. Nemo ferè niſi inuitus Decurio fiebat. Album Curiæ πόνηρον βίβλιον Syneſio. Curiales vix liberi. Honos municipalis λειτούργημα. Illuſtris ea de re Theophilacti locus expenditur. Editionum neceſſitas municipalibus magiſtratibus impoſita. Tributa, Decurionum periculo exigi ſolebant. Allectores, & Allectura. Vindices ab Anaſtaſio inſtituti. Curiæ à Leone funditùs euerſæ. Vicis Curiales attributi. Præpoſiti pagorum.

CAP. XI.

COrolarium. Magiſtratus anima Reipublicæ. Tres celeberrimæ Imperij formæ. In his multa ab ipſis authoribus, & ab aliis Principibus innouata. Hæc Imperatorum poteſtas, à quibus prouinciæ ἄλλοτε ἄλλως diuidebantur. Pauci in politia Romana næui.

## *DIATRIBA SECVNDA.*

CAP. I.

DIuiſum olim Imperium, non Eccleſia. Huius Princeps Sacerdos Pontifex Romanus. Dignitas Patriarcharum. Ignis Imperatori, & Patriarchæ præferri ſolebat. Tres primùm Patriarchales Eccleſiæ. Vopiſcus illuſtratur. Patriarchæ Iudæorum. ἀποστολὴ tributum Iudaicum. Epiphanij locus exponitur, reiecta veteri interpretatione. Patriarchales Eccleſiæ authoritate Apoſtolica in præcipuis orbis Romani ciuitatibus conſtitutæ. Ambitio Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui ex quarta ſede in ſecundam inuaſit. Quinta Patriarchæ Hieroſolymitani ſedes. Quo tempore inſtituta. Patriarchæ & Prima-

tes non dignitate,ſed authoritate æquales. Archiepiſcopi,diœceſeôn Metropolitani,Principes,& Exarchi omnes appellati. Qui fuerint in Oriente,præcipitante Imperio, Archiepiſcopi. Extraordinarius Tyrenſis Epiſcopi Primatus. De poteſtate Patriarcharum,& Primatum. Nulli in Concilio Chalcedonenſi Patriarchatus inſtituti.

CAP. II.

NVlla in Orientis Imperio diœceſis ſine Patriarcha, aut Primate. Epiſcopus Antiochenus Orientis Patriarcha. Eius cum Cypri Metropolitano renouata ſæpiùs contentio,& extincta. Cedrenus reprehenditur. Nicephori allucinatio. Conſtantia Metropolis Cypri. Error Balſamonis, qui viris etiam doctiſſimis impoſuit. Metropolitanus Cypri Epiſcopus αὐτοκέφαλος. Tres Palæſtinæ Antiocheno ademptæ, & Hieroſolymitano Patriarchæ attributæ. Alexandrinus Epiſcopus Ægypti Patriarcha. Refellitur Tyrius. Epiſcopus Conſtantinopolitanus Thraciæ Patriarcha. Extraordinarium eius in Aſianam & Ponticam imperium. Tentatum ab illo etiam Illyricum. Aſiana tamen & Pontica ſuos Primates habuerunt. Theſſalonicenſis Epiſcopus Macedoniæ,& Daciæ Primas. Iuſtinianæ primæ Epiſcopus Daciæ tandem eſt præpoſitus. Eccleſiaſtici τόποι in Orientis Imperio deformati.

CAP. III.

DE Pontificis Maximi poteſtate. Quæ ſit ſacra Synodus in Nouell. Theod. & Valentin. de Epiſcop. ordinat. Roma τῆς εὐσεβείας μητρόπολις. Epiſcopi ab Eccleſiis ſuis deiecti,à Pontifice Max. reſtituti. Hunc ſummum Eccleſiarum omnium Rectorem priſcæ Synodi agnouerunt. Vices eius obire magnum in Oriente decus. Appellationes ad Pontificem Max. ab Epiſcopo Conſtantinopolitano approbatæ. Relationes ad ſedem Apoſtolicam antiquitùs receptæ. Can. vj. Concil. Nicæni, & Rufini interpretatio illuſtratur. Alia Patriarchæ,alia Pontificis diœceſis. Reſcriptum Innocentij III. de Patriarchæ Conſtantinopolitani electione, explicatur.

CAP. IV.

ECcleſiæ Sol in arce Romana. Omnis Italia in Pontificis Max. Patriarchatu. An Illyricum cum Italia coniunctum fuerit. Aquileia Dalmatiæ ciuitas. Nullus in Occidente Illyrici Vicarius. Vera Illyrici metropolis Mediolanum. Ambroſius

ĩ

# INDEX.

Epiſcopus Mediolanenſis Sirmienſis Epiſcopi electioni præfuit. In Concilio Aquileienſi primas tenuit Epiſcopus Mediolanenſis:nec tamen Primatis aut Patriarchæ ſibi honorem vnquam arrogauit.Rauenna vrbs regia, Flaminiæ primum metropolis, Æmiliæ poſteà attributa.Nullum eius Epiſcopus ſibi primatus ius vindicauit.Eccleſiæ Rauennatis autocephalia.Aquileienſis Epiſcopus. Gradenſis & Foroiulienſis Primates fuerunt. Gradus noua Aquileia. Longobardiæ Tranſpadanæ metropolis vetus Aquileia.Venetorum Patriarcha.Piſanus Primas. Carthaginenſis Epiſcopus Africæ primatum obtinuit. Eius authoritas in omnes Africanæ diœceſeos prouincias. Paſchatis dies ſcriptis à Pontifice literis ſolebat quotannis publicari. Treuerenſis primatus. Veterum Epiſcoporum modeſtia. Arelatenſis primatus. Primates à Sedis Apoſtolicæ Vicariis differunt. Suas tamen Primatibus vices aliquando Pontifices imponebant. Legati à latere. Eorum nomen ab Imperio ad Eccleſiam tranſlatum.Britanniæ Primatem ab Arelatenſi Epiſcopo conſecrari voluit Gregorius. Synodi cogendæ ius Arelatenſi olim Epiſcopo conceſſum. Eius cum Epiſcopo Viennenſi de iure metropolitano in Taurinenſi Concilio controuerſia.Viennenſis prouincia inter eos diuiſa.Ciuiles,& Eccleſiaſtici Septem prouinciarum conuentus in Arelatenſi ciuitate fiebant. Hincmari ſententia de primatu Viennenſi in dubium reuocatur. Zoſimi, & Bonifacij de Arelatenſis Epiſcopi authoritate diuerſa decreta. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus Galliarum Primatem ſe aſſerebat, cui reſtitit Leo Pontifex Max. Aucta nihilominùs poſteà huius Eccleſiæ dignitas. Sed extincta tandem. Toletanus primatus. Vnde eius origo. Gallia Narbonenſis à Gotthis in Hiſpaniæ prouinciis numerata. Inepta Hiſpaniarum diuiſio, quæ falsò Conſtantino tribuitur. Profligato, & extincto Alarico regnum Toloſanum funditùs deletum. Quo tempore celebrata fuerit prima Aurelianenſis Synodus. Toloſa Gotthis cum Aquitania conceſſa metropoleos nomen accepit.Duæ in eadem prouincia metropoles.Vetus Nicææ cum Nicomedia περὶ πρωτείων contentio. Duæ Britanniarum metropoles à Gregorio Magno conſtitutæ. De primatu inter Epiſcopum Gantuarienſem & Eboracenſem controuerſia.

# INDEX.

## Cap. V.

TRes Galliarum Primates agnoſcit Otto, reiecta eius ſententia. A Romanis prouinciarum deſcriptionibus originem habent Galliæ primatus. Treuerenſis in dubium reuocari non poteſt. Eius tamen authoritas in Belgica ſecunda parum cognita. Lugdunenſis Epiſcopus non Galliarum, ſed quatuor tantùm Lugdunenſium prouinciarum primatum obtinet. Vna primùm Lugdunenſis Proconſularis. Omnes Lugdunenſes prouinciæ ad vnius formam reuocatæ. Bituricenſis vtriuſque Aquitaniæ, & Nouempopulaniæ Patriarcha. Narbonenſis primatus aſſeritur. Vnde Vienna Senatorium nomen acceperit. Ado reprehenditur. Romanæ, & prouincialis Curiæ Senatores. An quinque vel octo fuerint Viennenſes prouinciæ? Primatus Viennenſis, de quo edita Pontificis Max. Silueſtri nomine vetus epiſtola expenditur. Quæ primæ fuerint prouinciæ. Vtriuſque Germaniæ primatus iure optimo Moguntino Epiſcopo delatus. Nullum inter primas, & alias prouincias diſcrimen. A Sedis Apoſtolicæ authoritate primatus omnes repetendi.

## Cap. VI.

IActa in Eccleſia ab Apoſtolis politiæ fundamenta. Eccleſiaſticæ prouinciarum formæ non raro cum ciuilibus conueniunt. In Oriente ſuum quæuis ciuitas habuit Epiſcopum Vetitæ ſanctiſſimis Conciliorum decretis prouinciarum diuiſiones. Summa Imperatorum ea in re licentia. Tres Cappadociæ, & totidem earum Metropolitani. Tertia Cappadocia à Iuſtiniano inſtituta. Gregorij Nazianzeni Interpres reprehenditur. Inſignis Græcorum Imperatorum audacia. Data Proculo Epiſcopo Maſſilienſi in quoſdam ſecundæ Narbonenſis Prouinciæ Epiſcopos poteſtas. Imperatores Chriſtiani Pontifices appellati. Eccleſiaſtica poteſtas à ciuili diſtincta. Adtuendam Eccleſiæ dignitatem Principis authoritas neceſſaria. Suas habet formas ſeu Τύπυς Eccleſia. Magna Pariſienſis Epiſcopi modeſtia. Singulare Chriſtianiſſimorum Regum in retinenda Eccleſiæ politia ſtudium. Quid περιπτύσσεσθαι in Nouell. cxv. explicatut. Quatuor Synodi Eccleſiæ diptycis aſcriptæ, cuius moris author Iuſtinianus. Summa Conciliorum authoritas.

FINIS.

QVANTVM ALIIS PRÆSTAT ROMANA POTENTIA REGNIS.

IMPERIVM SVPRA TANTVM SE ECCLESIA TOLLIT.

# PHILIPPI BERTERII
## PITHANON DIATRIBA PRIMA.
## Orbis Romanus.

*ROMA, VNA OLIM IN ORBE vrbs. Eadem omnium ciuitatum metropolis. Sic Conſtantinopolis, cùm nouæ Romæ nomen accepiſſet, omnium ciuitatum caput, & metropolis appellata eſt. Princeps tamen ſemper fuit vetus Roma. Suidas obiter emendatur. Smyrna ſibi quondam colonia, & metropolis. Conſtãtinopolis colonia Romana, & quidẽ iuris Italici. Capitolij nomẽ ab vrbe Roma ad eius colonias manauit. Omnia tandẽ Romæ priuilegia Cõſtantinopolis adepta eſt. Huius beneficij author videtur Theodoſius primus. Illuſtrãtur l. 1. C. Theod. de iur. Ital. vrb. Conſtant. & l. 1. C. de priuil. vrb. Cõſtant. Duæ orbis Romani partes, ſeu duo orbes. Vetus Roma Occidentis, noua Orientis Regina.*

### CAP. I.

RECTE' Ariſtides in vrbis Romæ laudem hunc Homeri verſum ita paucis li-

literis immutatis tranſtulit:

Ζηνός που τοίνδε γ' ὀλυμπίου ἔνδοθεν ἀρχή.

Quis enim populi illius, cuius nutu penè omnia, quâ Sol vtrumque recurrens aſpicit Oceanum, verti, regíque credebantur, Imperium cœleſtibus auſpiciis fundatum, & diuinis inſtitutis ornatum non exiſtimet? Quis tot gentes non ſolùm habitu & lingua, ſed moribus prorſus diſſimiles ſine magno numine in vnum veluti corpus coaleſcere potuiſſe cenſeat? Quis denique incredibilem τῆς πολιτείας εὐταξίαν non ſupiciat, & admiretur? Huius ego pulcherrimi Imperij imaginem, qualem libris noſtris expreſſam deprehendi, adumbrare conabor hac tabula. Tenuis certè labor; at non tenuis gratia, quam à iuris Romani ſtudioſis me conſequuturum ſpero, atque confido; alius fortaſſè literis & ingenio præſtantior addet aliquando colores, & lumen; opúſque inchoatum abſoluet.

Vna olim in orbe Romano fuit vrbs; hæc rerum domina, arx omnium gentium, Imperij, virtutis, dignitatis, gloriæ domicilium, mundi caput, & Regina: cuius Imperium ipſius orbis finibus terminabatur; ὅπερ δὲ πόλις (inquit Ariſtides in orat. de laudib. vrb. Romæ) τοῖς αὐτῆς ὁρίοις καὶ χώραις ἐστὶ, τοῦθ' ἥδε ἡ πόλις τῆς ἁπάσης οἰκουμένης. ὥσπερ αὖ τῆς χώρας ἄστυ κοινὸν ἀποδεδειγμένη, φαίης ἂν περιοίκους ἅπαντας, ἢ κατὰ δῆμον οἰκοῦντας ἄλλον χῶρον, εἰς μίαν ταύτην ἀκρόπολιν συνέρχεσθαι.

In eandem ferè ſententiam Mœcenas, cùm Romanam ciuitatem paſſim dandam contenderet, Cæſarem alloquitur apud Dionem lib. lij. Τῆς πολιτείας πᾶσι σφίσι μεταδοθῆναί φημι δεῖν; ἵνα καὶ ταύτης ἰσομοιροῦντες, πιστοὶ σύμμαχοι ἡμῖν ὦσιν, ὥσπερ τινὰ μίαν τὴν ἡμετέραν πόλιν οἰκοῦντες καὶ ταύτην μὲν ὄντως πόλιν, τὰ δὲ δὴ σφέτερα, ἀγροὺς καὶ κώμας νομίζοντες εἶναι: Nec alia fuit optimo Principi Antonino mens, cùm Romanæ ciuitatis ius omnibus promiſcuè largitus eſt l. in orbe. de ſtat. hom. Nouell. lxxviij.

*Hæc eſt in gremium victos quæ ſola recepit,*
*Humanúmque genus communi nomine fouit*
*Matris, non dominæ ritu; ciuéſque vocauit,*
*Quos domuit, nexúque pio longinqua reuinxit.*

Verùm ne tot nobiliſſimis ciuitatibus quæ huic Imperio magno ſemper fuerunt ornamento fiat iniuria, ſi nomen vrbis eis detrahatur; ſit Roma omnium ciuitatum mater, & orbis metropolis. Dionyſius in orbis deſcriptione:

Θύμβρις ὃς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην,
Ῥώμην τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων,
Μητέρα πασάων πολίων.

Athanaſius ad omnes ſolitariam vitam agentes: καὶ οὐχ ὅτι ἀποστολικός ἐστι θρόνος ᾐδέσθησαν, οὐδ', ὅτι μητρόπολις ἡ Ῥώμη τῆς Ῥωμανίας ἐστὶν, ηὐλαβήθησαν. Nam Ῥωμανία orbis Romanus eſt: Epiphanius hæreſi lxix. de Arrio: πῦρ οὐ τὸ τυχὸν κατείληφε πᾶσαν τὴν Ῥωμανίαν

σχεδὸν, μάλιστα τῆς ἀνατολῆς τὰ μέρη.

Hoc exemplo Conſtantinopolis poſteà omnium ciuitatum caput vocata eſt §. vlt. de ſatiſdat. ὅλου τοῦ κόσμου μητρόπολιν dixit Ioan. Chryſoſtomus homilia de verbis Iſaiæ. πάσης χώρας καὶ πόλεων περιφανεστάτην βασιλίδα Nicetas Dauid in vita Ignatij. Nemo enim eſt qui neſciat eam non ſolùm nomine & dignitate, ſed priuilegijs vrbis Romæ donatam fuiſſe l. 1. de priuil. vrb. Conſtantinop. can. 28. Concil. Chalcedon. Hinc ortum antiquæ, & nouæ Romæ nomen; Sophoclis Interpres in Electra: τὸ παλαιὸν ἐνίοτε μὲν πρὸς ἕτερον λέγεται νέον, ὡς παλαιὰ Ῥώμη λέγεται πρὸς τὴν νέαν: Cyrus Monachus ita νέαν Ῥώμην exponit:

------ τὴν νέαν ὄντως Ῥώμην,
Ῥώμην τὴν ἀρρυτίδωτον, τὴν μή ποτε γηρῶσαν,
Ῥώμην ἀεὶ νεάζουσαν, ἀεὶ καινιζομένην.

At longè princeps ſemper fuit vrbs æterna; quod Græci ipſi non inficiantur. Suidas: Κωνσταντινούπολις τοσοῦτον τῶν ἄλλων ἐστὶν ἁπασῶν μείζων, ὅσον τῆς Ῥώμης ἐλαττοῦσθαι δοκεῖ. ἧς τὸ δευτέραν τετάχθαι μακρῷ καὶ βέλτιον ἔμοιγε φαίνεται, ἢ τὸ τῶν ἄλλων ἁπασῶν πρώτην νομίζεσθαι. Quæ verba Suidæ non ſunt, ſed priſci cuiuſdam authoris; ſicut nec Suidæ ſunt quæ ſtatim ſequũtur eo loco, ſed deprompta ex chronico Conſtantinopolitano, vt fidem faciunt Codini παρεκβολαί; vbi integer ferè locus, ſi vltima primi capitis verba

cum primis ſecundi connectas: ex quibus emendandus Suidas de tempore quo condita eſt Conſtantinopolis. Sed ne aberrem à propoſito, vix vrbem regiam toto vnquam ceſſiſſe gradu arbitror. Gregorius Nazianzen. orat. xxvij. quam ea in ciuitate habuit: *ὑμεῖς ἡ μεγάλη πόλις, οἱ πρῶτοι μὲν τῆς πρώτης εὐθέως. ἢ μηδὲ τοῦτο παραχωροῦντες.* Quis tamen è veteri Roma nouam deductam neſcit? Eleganter Ariſtides Smyrnam, quæ ſuorum ciuium diligentia inſtaurata fuerat, ſibi coloniam, & metropolim fuiſſe ſcribit: *καὶ καθέστηκεν αὐτὴ πρὸς αὐτὴν ἐν ἀποίκου σχήματι καὶ μητροπόλεως. τρίτη γάρ ἐστιν ἀπὸ τῆς ἀρχαίας.* Non eadem profectò Conſtantinopoleos gloria, quæ ſe populi Romani coloniam fateatur, & Romam metropolim agnoſcat neceſſe eſt. Coloniam certè vocat Pletho orat. 1. de reb. Peloponn. *ἐπειδὴ οἱ μὲν ταύτῃ τὴν λαμπρὰν ταύτην ἀπὸ τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Ῥώμης ἀποικίαν στειλάμενοι, καὶ Βυζάντιον οὕτω καλῇ καὶ μεγάλῃ ἐπηυξηκότες τῇ προσθήκῃ, Πελοποννησίων οὐκ ἀλλότριοι.* Et Romam eius metropolim apertè profitetur Themiſtius orat. iiij. vbi Conſtantinopolitanos his verbis affatur: *ὑμῶν δ' αὖ ἕνεκεν πολλὴν γῆν ἐπῆλθον καὶ πολλὰς πόλεις μεγάλας, καὶ εὐδαίμονας, ἀτὰρ δὴ καὶ τὴν μητρόπολιν τὴν ἡμετέραν, οὐ τὰ ἀρχαῖα μέγαρα λέγω, ἀφ' ὧν ὡρμήθησαν οἱ τῷ Βοσπόρῳ προσοικήσαντες, ἀλλ' ἣ τῇ μὲν ἄλλων πόλεων βασιλεύει, τῇ δ' ὑμετέρᾳ συμβασιλεύει.* Haud diſſimilis locus orat. vj. vbi Theodoſio de aucta ab illo regiæ vrbis

annona ſic blăditur: οὐκ ἐκτείνει μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐπαύξει τὸ σιτηρέσιον, ὅτε ἀγαπητὸν ἦν μὴ ἐλαττῶσαι. οὐκοῦν δεῖ ἡμῖν ξενηλασίας συνεχοῦς, καθάπερ τῇ μητροπόλει. Nec enim dubium eſt quin veterem Romam intelligat μεγάλαν πολίων ματρόπολιν; quæ inſtituto canone Conſtantinopolitano magna ſæpè rei frumentariæ penuria laborauit. Hinc Conſtans Heraclij nepos cùm de antiqua Imperij ſede reſtituenda cogitaret, Romam matrem, Conſtantinopolim filiam vocabat. Zonaras in eius vita: βουλόμενος καὶ τὴν βασιλείαν εἰς τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην μετενεγκεῖν. ἔλεγε δεῖν μᾶλλον τὰς μητέρας ἢ τὰς θυγατέρας τιμᾶν. Et Auguſtinus lib. v. de Ciuit. Dei cap. xxj. *Deus Conſtantino etiam condere ciuitatem Romano Imperio ſociam, velut ipſius Romæ filiam, ſed ſine aliquo dæmonum templo, ſimulachróque conceſſit.* Quibus addam & hos Conſtantini Manaſſis verſus:

Οὕτως ὁ πρῴην σύνδεσμος τῶν πόλεων ἐῤῥάγη.
Οὕτως μητρὸς καὶ θυγατρὸς μεσὸν ἐπέπτη στάθη,
Διχάζουσα καὶ τέμνουσα μετὰ θυμοῦ ῥομφαίας,
Νεάνιν τὴν εὐπρόσωπον τὴν νεοτέραν Ῥώμην,
Ἐκ τῆς ῥυσσῆς καὶ παλαιᾶς καὶ τριπεμπέλου Ῥώμης.

Manent in l. 1. C. Theodoſ. de iur. Ital. vrb. Conſtant. fixa ad memoriam ſempiternam ſplendidiſſimæ huius coloniæ veſtigia: nam quod à Valentiniano & Valente renouatum ea Cõſtitutione iuris Italici auxilium, & tabulis inciſum (vt fieri olim

ſolebat) beneficium legimus, Conſtantinopolim iuris Italici coloniam non obſcurè indicat. Enimverò Roma ἀςέων, vt de Thera cecinit Pindarus, ῥίζα μελησίμβροτος in variis terrarum oris, per quas inuicta tanti populi virtus peruaſerat, plures olim colonias propagauit. Harum cùm duo eſſent genera, vt notat Aſconius, potior fuit conditio Italicarum, quales ab authoribus noſtris quamplurimæ memorantur l. 1. 6. 7. & vlt. de cenſib.

Sed coloniarum iura poſt Antonini Conſtitutionem, quæ orbi Romano ciuitatem contulit, facilè negligi, & exoleſcere cœperunt. Conſtantinus tamen, vt certiora eſſent nouæ Romæ incunabula, obſeruatum antiquitùs in coloniarum deductione morem retinendum putauit; ideóque multæ ex auguſta vrbe familiæ ab eo ſunt euocatæ, domus Romanis ſimiles, ac penè geminæ publicis ſumptibus ædificatæ, ingens etiam Capitolij moles extructa: quod nomen ab ipſa Roma ad colonias primùm manauit; vnde Ælia eſt Capitolina appellata l. 1. de cenſib. Ptolemæus: Ἱεροσόλυμα ἡ νῦν καλουμένη Αἰλία Καπιτωλία. De ciuitatis illius Capitolio meminit quidam pius ſcriptor (cuius dialogus extat inter libros Auguſtini) vbi ita Synagogam Eccleſia alloquitur: *Scio, quia vrbis tuæ ambitioſa fora, & celſa Capitolia vidiſti.* Verùm Conſtantinopolis (quod illi præcipuum, nec aliis

vnquam coloniis impertitum) in ipſis encæniis Imperij particeps, & ſocia facta eſt: qua ratione meritò *βασιλείας ἡλικιῶτις* dici potuit à Themiſtio orat. xiij. *βασιλεῖ δὲ εἰκότως συναυξάνεται πόλις ἡ τῆς βασιλείας ἡλικιῶτις.* Eam tamen omnibus veteris Romæ priuilegiis initio ornatam mihi non perſuadeo: nam quid ex iure Italico, quod Valentinianus & Valens confirmarunt, ad præclara illa *τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πρεσβεῖα* adiici potuiſſet? Hæc certè in cumulum tandem acceſſerũt l. 1. de priuil. vrb. Conſtantinop. cuius Cõſtitutionis authores ſunt Honorius, & Theodoſius II. Sed ſi fidẽ habemus Sozomeno, altiùs adhuc rei origo repetẽda: ſic enim ille lib. vij. cap. ix. cùm Synodi Conſtantinopolitanæ primæ, quam Theodoſij primi cura, & diligentia celebratam conſtat, decreta percurreret: *ἤδη γὰρ οὐ μόνον εἶχε ταύτην τὴν προσηγορίαν ἡ πόλις, καὶ γερουσίᾳ, καὶ τάγματι δήμων, καὶ ἀρχαῖς ὁμοίως ἐχρῆτο, ἀλλὰ καὶ τὰ σύμβολα, καὶ τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Ῥωμαίων ἐκείνετο, καὶ τὰ δίκαια, καὶ γέρα τὰ περὶ πάντα ἑκατέρᾳ ἰσάζετο.* Quod ſi verum eſt, beneficium iſtud à Theodoſio I. quem Gratianus extincto Valentiniano ad Imperiũ vocauit, arceſcere, & in maximis eius erga vrbem regiam meritis numerare non dubitem: nec enim illa minùs Theodoſio quàm ſuo debuit Cõſtantino: *ἀμφισβητήσιμον ἤδη ἐστι τίς μείζων καὶ ἀειπρεπεστέρα ταῖν πόλεοιν, ἣν Θεοδόσιος προσύφηνε τῇ Κωνσταντίνου, ἢ ἣν Κωνσταντῖνος τῇ Βύζαντος,*

ait

ait Themiſtius orat. vj. qua ſummum maximi Principis in ea ciuitate ornanda ſtudium elegantiſſimis verbis proſequitur. Sed nos Pithana, nō κυρίας δόξας ſcribimus: quod ab his qui Diatribas noſtras legent in memoriam ſæpiùs reuocari, & æquo animo accipi optamus. Suam ergo Conſtantinopolis metropolim colat, & veneretur. notum illud Thucididis: ἀποικία δὲ πάσχουσα τιμᾷ τὴν μητρόπολιν.

Diuiſo tandem Imperio, duæ orbis Romani partes, aut duo potiùs orbes conſtituti ſunt. Claudianus de bello Gildon.

*Conſpirant gemini frænis communibus orbes.*

Corippus lib. 1. de laudibus Iuſtini:

*Omnia vectantes gemini commercia mundi.*

Vetus Roma Occidenti, noua Orienti præfuit. Gregorius Nazianzenus de vita ſua:

Δύω μὲν οὐ δέδωκεν ἡλίους φύσις,
Δισσὰς δὲ Ῥώμας, τῆς ὅλης οἰκουμένης
Λαμπτῆρας, ἀρχαῖόν τε καὶ νέον κράτος,
Τόσον διαφέροντας ἀλλήλων, ὅσον
Τὴν μὲν περιλάμπειν ἡλίου, τὴν δ' ἑσπέρας.

Hîc Nazianzenus Martianum Heracleotem expreſſit, à quo vetus Roma ἄστρον οἰκουμένης appellata eſt in lib. de ſitu orbis:

Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις δ' Ῥώμη 'στὶ πόλις,
Ἔχουσ' ἐφάμιλλον τῇ δυνάμει καὶ τοὔνομα,
Ἄστρον τι κοινὸν τῆς ὅλης οἰκουμένης.

Vtraque verò ſui orbis eſt metropolis, & Regina. Rutilius Numatianus de antiqua:

*Exaudi Regina tui pulcherrima mundi,*
*Inter ſydereos Roma recepta polos.*

Sidonius Apollinaris de noua:

*Salue ſceptrorum columen Regina Orientis,*
*Orbis Roma tui.*

*SEPTEM IN ORIENTE DIOECESES, quæ tractus, & regiones aliquando appellantur. Oriens ſecundus orbis. Diœceſeos Orientis metropolis Antiochia. An hiſtoria de Chriſti imagine in ſeptima Synodo recitata, magno ſit Athanaſio aſcribenda. Ægypti metropolis Alexandria. Aſianæ Epheſus. Ponticæ Cæſarea. Thraciæ Conſtantinopolis. Macedoniæ Theſſalonica. Dacia Vicarium non habuit. Eadem illi primùm cum Macedonia metropolis. Theſſalonicæ Præfectus, de quo Cedreni locus exponitur. Vnum primùm Illyricum, poſteà duplex. Valentinianus III. Orienti Illyricum reddidit. Hilarij locus in libro de Synodis emendatus. Nouella Iuſtiniani xj. illuſtrata. Iuſtiniana prima Daciæ tandem metropolis.*

## CAP. II.

VTRAQVE orbis pars in plures rurſus partes diuiditur: ſeptem enim Orienti, ſex Occidenti tribuuntur diœceſes, quæ tractus appellantur l. vlt. de temp. & repar. appel. l. 11. de fund. patrimon. Marcellinus: *Conſtantij nomine per omnes Orientis tractus abolito.* aliquando etiam regiones, vt in veteri prouinciarum libello quem è tenebris eduxit Schonhouius. & in Concilio Chalcedon. act. xv. *Epiſcopi Ægyptiacæ regionis.* atque alibi ſæpè. Quælibet verò diœceſis, quæ plures complectitur prouincias, ſuam habuit metropolim: quod vt pleniùs accipiatur, ſingulas dabo, & initium faciam ab Oriente; quamuis ille, ne vetus Roma primos ſibi ereptos honores conquereretur, ſecundus orbis dictus ſit à doctiſſimo Theologo, qui vrbis τῆς Ἑῴας (vt ipſe loquitur) προκαθεζομένης, ciues his honorificis vocibus compellat:

> Ανδρες τὸ κλεινὸν ὄμμα τῆς οἰκουμένης,
> Οἳ κόσμον οἰκεῖθ' ὡς ὁρῶ, τὸν δεύτερον,
> Γῆς καὶ θαλάττης κόσμον ἠμφιεσμένοι:
> Ῥώμη νεουργὴς, εὐγενῶν ἄλλων ἕδος,
> Κωνσταντίνου πόλις τε, καὶ στήλη κράτους.

Orientis ergo hæ ſunt diœceſes: Oriens, Ægyptus, Aſiana, Pontica, Thracia. l. 2. de milit. veſt. l. 1. vt

nem. ad ſu. patroc. In quibus vices Imperatoris Præfectus prætorio Orientis exercebat: Macedonia, & Dacia, quæ à Præfecto prætorio Illyrici regebantur.

Omnium metropoles diligenter nunc inueſtigandæ, & inquirendæ ſunt. Sed ὁ τῶν ἀγνωμόνων ἀκροατῶν δεησόμεθα, τῶν πράως ταύτην ἀρχαιολογίαν προσδεχομένων. Rem enim, cuius memoria iam penè extincta eſt, in lucem reuocamus. Occurrit primùm in Orientis diœceſi Antiochia, in qua olim, vt prodidit Strabo lib. xvj. βασίλειον ἵδρυτο τοῖς ἄρχουσι τῆς χώρας. Eam Oriẽtis pulchrũ apicem vocauit Ammianus lib. xxij. Zoſimus metropolim lib. I. τῶν ἐπὶ Συρίαν προϊόντες, ἄχρι τῆς Ἀντιοχείας αὐτῆς. ἕως εἷλον καὶ ταύτην τῆς Ἑῴας πάσης μητρόπολιν οὖσαν. Hieronymus ad Pãmachium: *Ut ſit Palæſtinæ metropolis Cæſarea, totius Orientis Antiochia.* Chryſoſtomus, cuius verba ita reddidit Interpres homil. iij. ad popul. Antiochenum: *Ciuitatum ſub Oriente poſitarum caput, & mater eſt ciuitas noſtra.* Epiphanius epiſt. ad Hormiſdam Pontificem Max. *Multis perturbationibus Antiochiæ maximam ciuitatem, quæ eſt in Orientali diœceſi prima, circumſtantibus.* Athanaſius in hiſtoria de Chriſti imagine: πόλις ἐστὶ Βηρυτὸς καλουμένη, τελοῦσα δὲ ὑπὸ Ἀντιοχείαν. Berytum ait eſſe ſub ditione Antiochię; malè Interpres in vij. Synodo act. iiij. vectigalẽ Antiochiæ reddidit: hæc autem verba metropolim

indicant, non prouinciæ vnius, ſed integræ diœceſeos. Etenim iam olim Phœnicen à Syria ſeiunxerat Hadrianus; imò Berytus ipſa ſecundæ Phœnices metropolis erat: idcircò eius Antiſtes Archiepiſcopus ab eodem Athanaſio, & Metropolitanus ab Interprete appellatur. quod ſi verum eſt, non fuit huius libelli author magnus Athanaſius, qui mortem cum vita commutauit ſecundo Gratiani conſulatu, vt ſcribit Socrates; quo tempore nondum metropoleos honorem Theodoſij, & Valentiniani beneficio Berytus acceperat l. 1. de metrop. Ber. Verùm in Græca editione Epiſcopi ſæpè, at vno tantùm loco, in quo vitium eſſe poteſt, Archiepiſcopi verbum vſurpatum reperies.

Ægyptiacæ diœceſeos metropolim Alexandriam ſciunt omnes: Pæanius Eutropij metaphraſtes lib.ij. κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν Ἀλεξάνδρεια παρὰ τοῦ Μακεδόνος Ἀλεξάνδρου συνῳκίσθη, καὶ ταύτην ἐδέξατο τὴν προσηγορίαν ἡ τῆς Αἰγύπτου πάσης μήτηρ: vnde κατ' ἐξοχὴν πόλις ab ipſo Alexandro φιλομήρῳ Troiæ exemplo appellata. Euſtathius Iliad. β: ὅρα δ' ὅπως τὴν Τροίαν δίχα τινὸς ἐπιθέτου, πόλιν ὠνόμασε, καὶ γέγονεν ἀρχὴ τῷ φιλομήρῳ Ἀλεξάνδρῳ, τοῦ τὴν κατ' αὐτὸν Ἀλεξάνδρειαν οὕτω καλέσαι; φέρεται γοῦν ἱστορία, πόλιν τὰς ἀρχὰς αὐτὸ τοῦτο δίχα προσθήκης, κατ' ἐξοχὴν κληθῆναι τὴν Ἀλεξάνδρειαν. Dion Chryſoſtomus in orat. ad Alexandrinos, his verbis: Αἴγυπτος τηλικοῦτον ἔθνος, σῶμα τῆς πόλεως ἐστί. Alexandriam Ægypti caput eſſe

apertè oſtendit; ſed ne quis vllo modo dubitet delatum illi totius diœceſeos principatum, adijciam & iſtud Theodoriti teſtimonium lib. j. cap. j. Ἀλεξάνδρεια πόλις ἐςὶ μεγίςη καὶ πολυάνθρωπος, οὐκ Αἰγυπτίων μόνον, ἀλλὰ καὶ Θηβαίων καὶ Λιβύων τῶν πρὸς Αἴγυπτον τὴν ἡγεμονίαν πεπιςευμένη.

Epheſum autem (cuius ita meminit Chryſoſtomus in j. epiſt. Pauli ad Epheſ. Ἔφεσος ἐςὶ μὲν τῆς Ἀσίας μητρόπολις.) totius Aſianæ principem vrbem fuiſſe facilè mihi perſuadeo: etenim certum eſt celeberrimam illam ciuitatem primas ſemper tenuiſſe inter omnes huius diœceſeos metropoles: quod non obſcurè docet Vlpianus, vbi de proceſſu Proconſulis agit l. 4. de offic. Proconſ. & dilucidè probat Theodori Epheſini Epiſcopi ſubſcriptio in xviij. action. vj. Synodi. *Theodorus miſericordia Dei Epiſcopus Epheſi, metropolis primæ, Aſianæ diœceſeos definiens ſubſcripſi.*

De Pontica metropoli ambigi fortaſſe poteſt: fuit enim in Bithynia Ponticæ prouincia, clariſſima ciuitas Nicomedia, gratum Domitiano Imperatori domicilium. Sed ego hunc honorem Cæſareæ totius olim Cappadociæ metropoli, libentiùs defero: nam & priſcis temporibus (vt author eſt Iuſtinianus Nouell. xxx.) omnem ferè regionem Ponticam in ditionem ſuam redegerant Cappadoces; & eam vt principem Ponticæ vrbem prædicare

videtur Gregorius Nazianzenus his verbis in orat. de laudib.Baſil. magn. οὐχ ἧττον λόγων μητρόπολιν, ἢ τῶν πόλεων ὧν ὑπέρκειται, καὶ καθ' ὧν ἔχει τὴν δυναστείαν. quod nõ ſolùm ad vnam Cappadociæ prouinciam, ſed ad vniuerſam diœceſim referri debet: fuit enim hæc prima illius tractus prouincia, vt docet alter eiuſdem vj. Synodi locus: *Philalithes miſericordia Dei Epiſcopus Cæſareæ, metropolis primæ Cappadociæ, regionis primæ Ponticæ diœceſeos ſubſcripſi.* Hîc regio prouincia eſt, vt in pleriſque eiuſdem Synodi ſubſcriptionibus. Cæterùm meam de vtraque Aſianæ & Ponticæ metropoli ſententiam mirificè confirmant veteres Eccleſiæ τύποι, qui Cæſariano Epiſcopo Ponticæ, Epheſino Aſianæ primatum deferũt: qua de re diſceptabimus ſecũdâ Diatribâ.

In quærenda Thraciæ metropoli non eſt quòd adeò laboremus: Heraclea quidem principem in Europa Thraciæ prouincia locum quondam tenuit; ſed à primo illo gradu excidit, cùm ad ſummum rerum faſtigium aſcendit Byſantium. Procopius orat. iiij. de ædific. Iuſtiniani: Ἡράκλεια δὲ ἡ πόλις, ἥδε ἡ Πέρινθος, ἣ πάλαι μὲν τὰ πρωτεῖα τῆς Εὐρώπης ἐδίδοσαν, νῦν δὲ δὴ μετά γε Κωνσταντινούπολιν τὰ δευτερεῖα παρέχονται. Quamobrem neceſſe non habemus metropolim dare Thraciæ, in qua ſuperbum caput extollit vrbs regia, non vnius ſolùm diœceſeos, ſed altera orbis Romani metropolis.

Superſunt Macedonia, & Dacia. Macedoniæ metropolis fuit Theſſalonica : Antipater lib. 1. Ανθολ.

Σοὶ με Θρηικίης σκυληφόρε Θεσσαλονίκη
Μήτηρ ἡ πάσης πέμψε Μακεδονίης.

Quod de tota diœceſi exponendum eſt. Dacia verò, cui in Not. Rom. quinque tribuũtur prouinciæ, paulò antè quàm Imperij membra diuelli cœpiſſent, diœceſis, vt conijcio, facta eſt: nam duæ in Rufi Breuiario ad Valentinianum Imperatorem Daciæ inter Illyrici prouincias numerantur: nullúſque, opinor, huius fuit diœceſeos Vicarius. Notitia Orientis: *Vicarij quatuor ; Aſianæ diœceſeos, Ponticæ, Thraciarum, Macedoniæ.* nihil hîc de Dacia. Nec alios memorat Leo Vicarios l. vlt. de diuerſ. offic. vbi præcipuos omnes Oriẽtis magiſtratus recenſet. Deſideratur in Notitia Orientis Vicarij Macedoniæ officium, ex quo aliquam fortaſſe noſtra hæc coniectura lucem accepiſſet. Daciæ ergo metropolis nobis perquirenda non eſt. Equidem memini Vlpiam Traianam ; quæ Zarmizegethutuſa eſt in l. 1. de cenſ. Daciæ metropolim in veteri quadam inſcriptione apud Zamoſium appellatam: Sardicam etiam Δάκων ἔθνους μητρόπολιν dixit Theodoritus lib. ij. cap. iiij. Sed eas prouinciarum quæ duæ erant, Mediterranea & Ripenſis, metropoles fuiſſe dubitari minimè poteſt. metropolim tota diœceſis

nul-

nullam habuit;aut ſi quam habuit, eadem fuit quæ Macedoniæ Theſſalonica: quod Theodoritus videtur comprobare lib. v.cap.xvij. Θεσσαλονίκη πόλις ἐστὶ μεγίστη καὶ πολυάνθρωπος εἰς μὲν τὸ Μακεδόνων ἔθνος τελοῦσα, ἡγουμένη δὲ καὶ Θετταλίας καὶ Ἀχαΐας, καὶ μέντοι καὶ ἄλλων παμπόλλων ἐθνῶν, ὅσα τῶν Ἰλλυριῶν τὸν ὕπαρχον ἡγούμενον ἔχει. Hæc ille; quibus omnes Daciæ & Macedoniæ prouinciæ Theſſalonicæ ſubiiciuntur. Nec enim dubium eſt quin totas illas diœceſes Præfectus prætorio Illyrici adminiſtraret; nec alium Cedrenus intelligit in Theodoſio: τῶν στρατιωτῶν, inquit, ταραξάντων τὴν πόλιν, διὰ μικτάτα, ἐστασίασαν οἱ Θεσσαλονικεῖς, καὶ τὸν βασιλέα ὕβρισαν, τινὰς δὲ τῶν ἀρχόντων αὐτοῦ ἐλιθοβόλησαν. ὁ βασιλεὺς δὲ ταῦτα μαθὼν, καὶ τὴν ῥύμην τοῦ θυμοῦ μὴ ἐνεγκὼν, τῷ ἐπάρχῳ τῆς πόλεως ἐκείνης τὴν ψῆφον τῆς τιμωρίας ἐπέτρεψεν. Theſſalonicam enim inſtar vtriuſque Romæ Præfectum habuiſſe non exiſtimauit Cedrenus: nihil abſurdius rerum Romanarum ſcriptori excidere potuiſſet. Sed cùm Præfecti prætorio Illyrici ſedes hîc collocata eſſet, non ineptè is Theſſalonicæ Præfectus appellatus videtur: huic ciuitatis claues (quod tanti magiſtratus authoritatem non parum illuſtrat) creditas innuit Malchus in Ecclogis legat. τὰς κλεῖς τῶν πυλῶν ἐκ τοῦ ὑπάρχου λαβόντες, τῷ ἀρχιερεῖ ἔδοσαν. Et ſanè ſeditionis à populo concitatæ ille optimo iure vltor & vindex fuit, qui in vniuerſa diœceſi ius vice ſacra reddebat.

Fuit tamen in Præfecti prætorio Italiæ poteſtate magna Illyrici pars : vnde duplex Illyricum, vnum in Oriente, alterum in Occidente. Sed quoniam hæc quæſtio nondum ſatis explicata, & cognita eſt; quid de ea aſſequi potuerim candidè & ſimpliciter exponam, & Iuſtiniani Nouell. xj. explicabo. Quo tempore Conſtantinus quatuor Præfectos prætorio inſtituit, quibus maximam orbis Romani procurationem dedit; omnes prouinciæ, quæ Illyrico, Dacia, & Macedonia continentur, ab vno Præfecto prætorio regi cœperunt: quod omnium optimè ita memoriæ prodidit Zoſimus lib. ij. ἑτέρῳ δ' ὑπάρχῳ, Præfectum Illyrici intelligit, παρέδωκε Μακεδόνας, καὶ Θεσσαλοὺς, καὶ Κρῆτας, καὶ τὴν Ἑλλάδα, καὶ τὰς περὶ αὐτὴν Νήσους, καὶ ἀμφοτέρας Ἠπείρους, καὶ πρὸς ταύταις Ἰλλυριοὺς, καὶ Δάκας, καὶ Τριβαλλοὺς, καὶ τοὺς ἄχρι τῆς Βαλερίας Παίονας, καὶ ἐπὶ τούτοις τὴν ἄνω Μυσίαν. Sic omnes illæ prouinciæ in Macedoniæ & Illyrici diœceſes diſtributæ, Orientis Imperio aſcriptæ ſunt: quamobrem à Synodo Sardicenſi, quæ ſub Conſtantio celebrata eſt, Orienti Pannoniæ tribuuntur apud Hilarium in lib. de Synod. *Sancta Synodus in Sardica congregata ex diuerſis prouinciis Orientalium partium Thebaïde, Ægypto, &c. Thracia, Hæmimonto, Maſſylia cum Mœſia, Pannoniis duabus.* Mallem certè pro Maſſylia Dardaniam, quæ Mœſiæ quoque adiungitur l. 4. C. de metall. Nam Maurita-

niam, quæ à quibuſdam Maſſylia appellatur, in Africa Occidentis diœceſi ſitam nemo ignorat. Mox tamen cùm orbis Romanus variè inter conſortes Imperij diuiſus fuiſſet, acceſſit tandem prætorio Italiæ Illyricum; Macedonia autem, & Dacia, quæ tunc ex quibuſdam Illyrici prouinciis formata eſt, in Præfecti prætorio Illyrici poteſtate remanſerunt, vt Notitia Imp. & quædam Imperatorum conſtitutiones fidem faciunt: atque ita maxima Illyrici pars Orienti adempta eſt. Sed præcipitante Imperio, cùm Romæ Valentinianus III. & Theodoſius Conſtantinopoli rerum potirentur, reſtituta: quod exequitur his verbis Iornãdes lib. de regn. ſucceſſ. *Poſthæc tertio anno Valentinianus Imperator à Roma Conſtantinopolim ob ſuſcipiendam in matrimonio Eudoxiam Theodoſij Principis filiam venit, datáque pro munere ſocero ſuo tota Illyria, celebratis nuptiis ad regna ſua cum vxore receſſit.* Valentinianus igitur Orienti reddidit Illyricum, cuius metropolis Sirmium. Ita duplex eo tẽpore fuit in Oriente Præfecti prætorio Illyrici tribunal; Theſſalonicum, & Sirmienſe: ſed hoc profligatis poſteà ab Attila Hunnorum Rege Pannoniis, Theſſalonicam tranſlatum eſt Nouell. xj. & cum altero coniunctum. Sirmium enim Attila obſederat & expugnauerat, vt teſtis eſt Priſcus in Excerp. vbi legationem Theodoſij ad ipſum Attilam deſcribit:

κϳ̓ ϳ τ̃ χρόνον, ἐν ᾧ ὑπὸ Σκυθῶν ἐν τοῖς Παιόνων ἐπολιορκεῖτο τὸ Σίρμιον. & ſtatim : μετὰ τῆς πόλεως ἀνδραποδισμόν. Nec Illyricum tantùm, ſed ipſam Thraciam hæc turbulentiſſima tempeſtas perculit. Hiſtoria miſcella lib. xiiij. *Per hæc tempora Attila Rex Hunnornm, vir fortis, atque ſuperbus, dum cm fratre Bleba ſuper Hunnos principaretur, Thracias & Illyricum ſæua depopulatione vaſtabat, omnia caſtella, & ciuitates in ſeruitutem redigens, præter Adrianopolim, & Heracleam : tunc exercitus Romanorum qui in Sicilia morabatur ad defenſionem Orientalium prouinciarum reuertitur.*

Et hæc quidem ita ſe habent. nunc ad Daciam redeamus, cui ſerò tandem Iuſtinianus patriam ſuam, quam Iuſtinianam primam appellauit, metropolim eſſe voluit, addita etiam ſecundæ Panno- niæ parte, quæ ex Illyrici diluuio incolumis remanſerat : hanc τῆς ἁπάσης χώρας μητρόπολιν dixit Procopius de ædif. Iuſtin. orat. iiij. à quo καταγώγια τῶν ἀρχόντων in ea ciuitate laudantur, optimè : nam ſummum præfecturæ ſolium hîc conſtitutum docet Nouell. xj. Quod de Theſſalonicenſis Epiſcopi prærogatiua ſcribit Iuſtinianus, ſuo loco diſcutiendum relinquimus. Sic omnes Orientis diœceſes breuiter, & dilucidè explicatæ ſunt : vnum hoc in iſto ſcribendi genere ſtudium mihi ſemper erit,

Τὸ δὲ βραχέως ἕκαστα δὲ φράζειν σαφῶς.

*SEX IN OCCIDENTE DIOEceſes. Mediolanum Italiæ metropolis. Præfectura vrbana aliis dignitate præſtat. Auſonij ea de re verſus in Moſella exponuntur. Præfectus vrbis Senatum, & populum regebat. Summa eius authoritas intra centeſimum lapidem. Suburbicariæ prouinciæ ab Italiæ prouinciis ſeparantur. Omnes tamen in Italia ſunt. Hæc in duas diœceſes diuidenda. Nullum habuit Vicarium Conſtantinopolis. In ea Præfectus prætorio Orientis vice ſacra iudicabat. Illyrici metropolis Sirmium. Africæ Carthago. Galliarum Auguſta Treuerorum. Arelas Septem prouinciarum, hoc eſt, Galliarum metropolis à Conſtantino Tyranno facta eſt. Conſtantini Conſtitutio illuſtrata. Galliarum nomine omnes Tranſalpinæ nationes aliquando deſignatæ. Sidonij Apollinaris locus explicatus. Hincmari ſententia de Septem prouinciis refellitur. Emerita Hiſpaniarum, Eboracum Britanniarum metropolis.*

## CAP. III.

OCCIDENS omnis, vt iam diximus, ſex habet diœceſes; Italiam, Illyricum, Africam, quas Præfectus prætorio Italiæ; Gallias, Hiſpanias, & Britannias, quas Præfectus præ-

torio Galliarum adminiſtrabat. Mediolanum Italiæ, Auguſtam Treuerorum Galliarum metropolim fuiſſe probare videntur hæc Athanaſij verba in apolog. de fuga ſua ad Conſtantium, quæ à Theodorito referuntur lib. ij. cap. xv. ἄρτι μὲν εἰρήνην ἐχουσῶν τῶν ἐκκλησιῶν καὶ τῶν λαῶν εὐχομένων ἐν ταῖς συνάξεσιν, ὁ μὲν Ἐπίσκοπος τῆς Ῥώμης Λιβέριος, καὶ Παυλῖνος τῆς μητροπόλεως τῶν Γαλλίων, καὶ ὁ Διονύσιος, ὁ τῆς μητροπόλεως τῆς Ἰταλίας ἁρπάζονται καὶ ἐξορίζονται. Nam Dioniſium Mediolani, Paulinum Treuerorum Eccleſiis tunc præpoſitos fuiſſe certum eſt. Affinis eiuſdem Athanaſij locus in epiſt. ad ſolit. vit. agent. Παυλῖνος ἀπὸ Τριβέρων τῆς μητροπόλεως τῶν Γαλλίων Ἐπίσκοπος, καὶ ὁ Διονύσιος ἀπὸ Μεδιολάνων, ἔστι καὶ αὐτὴ μητρόπολις τῆς Ἰταλίας. Itaque fides adhibenda Sozomeno non eſt, qui lib. iiij. cap. ix. Dionyſium Albæ Epiſcopum inſcribit. Sed enim, vt omnia ordine explicentur incipiam ab Italia, & eius metropoli Mediolano (cui ſecundas in Occidente tribuit Procopius lib. ij. Gotth. πρώτη δὲ πόλεων τῶν Εσπερίων μετάγε Ῥώμην, μεγέθει καὶ πολυανθρωπίᾳ καὶ τῇ ἄλλῃ εὐδαιμονίᾳ ἐτύγχανεν οὖσα. & mox: Μεδιόλανος γὰρ ἤδη, πόλεων τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πασῶν μάλιστα μεγέθει τε καὶ πολυανθρωπίᾳ, καὶ τῇ ἄλλῃ εὐδαιμονίᾳ παρὰ πολὺ προὔχουσα. ſic illa à Suida πολυάνθρωπος πόλις. & à Plutarcho in Marcello μεγίστη καὶ πολυανθρωποτάτη appellatur. Fuit hæc certè magnis quondam Imperatoribus ſedes gratiſſima, celebratúrque eius pa-

latium ab Auſonio:

*Et Mediolani mira omnia, &c.*

*Templa, palatinæque arces, opulénſque moneta.*

Palatium Principis domus eſt l.1.de palat. & dom. domin. Euſtathius in Dionyſ. νῦν οἱ Ρωμαῖοι τοὺς βασιλεῖ πρέποντας τόπους καλοῦσι παλάτια. Vocabuli origo ſatis eſt cognita; Roma apud Claudianum in paneg. de vj. Honorij conſulatu:

*Cur mea, quæ cunctis tribuêre palatia nomen,*
*Neglecto ſqualent ſenio?*

Verumtamen ſi quis ex his Romam Mediolano ſubiici, atque adeò orbis Reginam ſummo affici dedecore arbitretur, næ ille parum mihi rerum Romanarum gnarus videbitur. Non Italiæ Præfecto, ſed ſuo parebat vrbs auguſta: cuius maieſtas id conſequuta eſt, vt hæc præfectura, quæ poteſtate longè fuit inferior, dignitate præſtaret l. 3. C. de offic. Præf. vrb. Nouell. lxij. Iulianus Nouell. lvj. *Vrbicaria præfectura omnibus aliis præſideat dignitatibus, id eſt, anteſedeat.* Caſſiodorus lib. iij. epiſt. xj. *Vrbanus Præſul dignitas eſt honorum.* Licet enim præfecturæ omnes indiſcretæ ſint dignitatis l. 1. C. de Præfect. præt. in Senatu tamen diſtinguntur. *Hæc præfectura*, inquit Symmachus epiſt. xxxvj. lib. x. *Romæ ſuperior eſt cæteris.* Elegantes ſunt ea de re Auſonij verſus in Moſella, quos hîc illuſtrare operæpretium erit.

*Aut Italûm populos, Aquilonigenáſq; Britannos*
*Præfecturarum titulo tenuêre ſecundo.*
*Quique caput rerũ Romam, populũq; patréſque*
*Tantumnon primo rexit ſub nomine;*

Præfecturas Italiæ, & Britanniarum, hoc eſt, Galliarum (ab vno enim Præfecto regebantur Galliæ & Britanniæ) eodem ordine, ſed ſecundo loco, vrbicariam primo conſtituit, eámque exiguo tempore adminiſtratam ait. Et verò quæ de Roma, & Senatu hîc dicuntur, non Italiæ Præfectum, cuius curæ Roma nunquam commiſſa eſt, ſed vrbis Rectorem, & Senatus Præſidem indicant. Symmachus lib.x. epiſt.xxx. *Cùm ad præfecturam vrbanam ciuilium rerum ſumma pertineat.* Rutilius Numatianus Præfectus vrbis:

*Si non diſplicui, regerem cùm iura Quirini;*
*Si colui ſanctos, conſuluique patres.*

Nec tamen vrbis mœnibus hæc præfectura circunſcribitur: quippe ne tanta ciuitas (cui nihil habuit mundus par, aut ſecundum) ſeptem ſuis collibus comprehenderetur, quædam ſunt illi olim attributæ prouinciæ, quarum vrbes ideò togatæ vocantur à Papinio in Soter. Gallici. ſolitas regiones dixit Vlpianus, quæ centeſimo lapide continebantur l. 1. de offic. Præfect. vrb. quod in formula iiij. lib. vj. confirmat Caſſiodorus: ideóque Seuerus, cùm Prætorianis militibus Roma, ob Per-

tinacis cædem interdiceret, vt vrbis finibus omnino expellerentur, eos Italiâ etiam excedere vſque ad centeſimum lapidem iuſſit, apud Herodianum his verbis lib. ij. παραγγέλλω τε ὑμῖν ἀπιέναι ὡς πορρωτάτω τῆς Ῥώμης. ἀπειλῶ, καὶ διόμνυμαι καὶ προαγορεύω, κολασθήσεσθαι κεφαλικῶς, εἴ τις ὑμῶν ἐντὸς ἑκατοστοῦ σημείου ἀπὸ τῆς Ῥώμης φανείη. Vlpian. de lege Fabia lib. ix. de offic. Proconſ. *Jam eò peruentum eſt conſtitutionibus, vt Romæ ſolus ſuper ea re Præfectus Vrbis cognoſcat, ſi intra milliarium centeſimum ſit in via commiſſa.* Eadem ferè in l. 1. de offic. Præfect. vrb. Hinc ſuburbicariæ regiones, ſeu prouinciæ, vt Tuſcia, & Picenum l. 12. C. Theod. de indulg. debit. quæ omnes ab Italiæ prouincijs ſecernuntur l. 1. C. Theod. ſi per obrept. l. 9. C. Theod. de extraord. muner. l. 9. C. Theod. de ann. & trib. eas tamen eſſe in Italia negari non poteſt. Itaque re vera in duas diœceſes Italia diuidenda eſt: vna Italiæ appellationem retinuit; altera ab vrbe, & ſuburbicarijs prouincijs nomen accepit: Hæc, vt ex Notitia didicimus, decem; illa ſeptem habuit prouincias: vtraque à ſuo Vicario regebatur. Verùm vrbis Vicarius, ſi Caſſiodoro credimus, ad quadrageſimum tantùm ab vrbe lapidem ius dicebat; ſed ille tamen in omnibus ſuburbicarijs prouincijs præfecturæ vices ſuſtinuit. Ad prouincias illas reſpexit Caſſiodorus, cùm ita Præfectum vrbis alloquutus eſt: *Tu ex deſignatis lege*

D

*prouincijs ab appellatione cognoſcis.* Eò ſpectat etiam l. 13. & 61. C. Theod. de appellat. Quapropter Italiæ magiſtratus, vbi de capite Senatoris agebatur, ex ſuburbanis prouincijs ad Præfectum vrbis; ex alijs ad Præfectum prætorio Italiæ referebant l. 13. C. Theod. de accuſ. Verùm ex quibuſdam prouincijs, quæ inter ſuburbicarias numerantur, ad Præfectum Italiæ appellari voluit Iulianus l. 27. C. Theod. de appell. quod præfecturæ vrbanæ, ad quam ex omnibus prouincijs olim prouocatum conſtat, poteſtatem ſenſim imminutam demonſtrat: ſtante tamen Imperio manſerunt ſemper ſuburbicariæ regiones, quarum metropolis fuit Roma, vt reliquæ Italiæ Mediolanum. Romam tamen non ſolùm Mediolanum, ſed omnes prouinciæ, atque ciuitates orbis ſui Reginam auguſtè venerantur. Nullus autem in Oriente nouæ Romæ Vicarius, nullæ ſuburbicariæ prouinciæ: nam quamuis eius Præfectus appellationum ex quibuſdam prouincijs iudicia aliquando exercuerit l. cum appellatio. C. de appellat. potior nihilominùs vbique erat Præfecti prætorio Orientis (cui Thracia omnis parebat) authoritas; ita vt in ipſa vrbe regia ius vice ſacra diceret l. raptores. de Epiſc. & cler. magnum hoc prætorium, quod à Iuſtino exornatum docet Paulus Silentiarius lib. Ανθολ. iiij.

Παύλου Σιλεντιαρίου εἰς τὸ μέγα πραιτώριον καλλωπισθέν.

Κόσμον Ἰουστῖνος βασιλεὺς ῥυπόωντα καθήρας
Καὶ τὰ μέγιστα δίκης ἠγλάϊσεν τεμένη.
Σοῖς δὲ πόνοις Δομνῖνε κατηφέα τύχθα διώκεις
Ἐκ Θέμιδος μεγάρων, ἐκ βιοτῆς μερόπων.

Sequitur aliud eo loco eiuſdem argumenti epigramma, quod aſcribere non eſt neceſſe. Pergo ad inſtitutum: fuit igitur Italiæ metropolis Mediolanum. Sed Valentinianus iunior Rauennam, quam poſthabita Imperij ſede potiſſimùm colebat, multis demùm Italiæ ciuitatibus ( vt à doctiſſimis viris obſeruatum eſt ) præpoſuit. Celebris etiam aliquando fuit Rauennæ Exarchatus; ſed tunc afflicta & proſtrata iacebat Italia, nullamque antiqui nominis & gloriæ ſpeciem retinebat.

In Illyrico & Africa sũma erat quoque Pręfecti prætorio Italiæ poteſtas: Africæ Carthago, Illyrici Sirmium fuit metropolis. De Sirmio ita Herodianus in Maximino: ἐπανῆλθεν εἰς Παίονας ἐντε Σιρμίῳ διατρίβων, τῇ μεγίστῃ ἐκεῖ πόλει δοκούσῃ, τὰ πρὸς τὴν εἴσοδον εἰς τὸ ἔαρ παρεσκευάζετο. qua ratione facilè principatum in Illyrico tenuit Nouell. xj. quod Synodi Aquilienſis acta probant: *Amenius Epiſcopus dixit: Caput Illyrici nonniſi ciuitas Sirmienſis, ego igitur illius Epiſcopus ciuitatis ſum.* De Sirmij palatio meminit Ammianus lib. xxx.

Carthaginis verò in Africa nomen ſemper fuit clariſſimum : elegantiſſimè Hymerius : Καρχηδὼν πόλις ἐπὶ Λιβύην δι' ἀρετὴν μετὰ Ῥώμης φρονήσασα, πόλις Ἰταλίαν ὅλην τοῖς ἑαυτῆς κάλλεσι βόσκουσα, πόλις παρὰ τοσοῦτον οὐ πρώτη, παρ' ὅσον Ῥώμην αἰσχύνεται. quin & Africæ totius metropolim fuiſſe nemo vnquam dubitauit. Stephanus : Καρχηδὼν μητρόπολις Λιβύης δια-σημοτάτη πόλις. quod ab Euſtathio in Dionyſium totidem verbis relatum eſt. Leo IX. Pont. Max. epiſt. iiij. *Carthaginenſis Epiſcopus non incongruè dici poteſt Metropolitanus, propter Carthaginem metropolim totius Africæ.* Saluianus lib. vij. de gu-bern. De. vbi in Afros inuehitur : *Nec diſcurram per loca ſingula, aut cunctas diſcutiam ciuitates, ne ſtudioſè videar quærere atque inueſtigare quæ di-cam : vna tantùm vniuerſarum illic vrbium prin-cipe, & quaſi matre contentus ſum, illa ſcilicet Ro-manis arcibus ſemper æmula, armis quondam & fortitudine, poſt ſplendore & dignitate. Cartha-ginem dico, & vrbi Romæ maximè aduerſariam, & in Africano orbe quaſi Romam.* Quid illuſtrius de Africæ metropoli dici potuit? Auguſtin. epiſt. clxij. *Tantò magis timere debuit, ne pax vnitatis violaretur, quantò erat Carthago ciuitas ampla & illuſtris, vnde ſe per totum Africæ corpus ma-lum, quod ibi exortum eſſet, tanquam à vertice effunderet.* Iuſtinianus, pulſis Vandalis, Cartha-

ginis dignitatem conſeruauit, & noua Præfecti prætorio ſede auxit l. 1. de offic. Præfect. præt. Afr.

Sequitur Galliarum prętorium, cuius Præfectus τῆς αὐλῆς ἐν τοῖς ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἔθνεσιν ὕπαρχος dicitur à Zoſimo. Prima eius diœceſis Gallia: hæc antiquam, vt iam oſtendimus, iactat metropolim Auguſtam Treuerorum, vrbem celeberrimam, quæ amplitudine & dignitate Tranſalpinis omnibus antecellebat ciuitatibus: Zoſimus lib. iij. Διατρίβων οὖν ἀπὸ χρόνου τινὸς ἐν Τρεβήροις, (ἔστι δὲ αὕτη πόλις μεγίστη τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἔθνων.) *vrbs Gallorum opulentiſſima, & excellentiſſima, ſummáque Gallorum ciuitas* vocatur à Saluiano lib. vj. de gubern. De. Sed & quod Valens, & Gratianus ſtatuunt de annonis profeſſorum, qui in Treuerica ſchola docebant l. 11. de med. & profeſſ. C. Theod. facilè principem totius diœceſeos ciuitatem eam fuiſſe arguit. Nec quiſquam eſt, qui neſciat Treueros, clarum Principum domicilium, laudari ab Ammiano; quod Auſonius attigit hoc verſu in Moſella:

*Dignata Imperio debent cui mœnia Belgæ.*

Illud tamen prætermitti minimè poteſt, Arelatem clariſſimam Viennenſis prouinciæ vrbem poſteà, cùm labentis & inclinati Imperij ruinas fulciret Honorius, à Flauio Conſtantino, qui Galliarum tyrannidem occupauerat, Septem prouinciarum metropolim factam fuiſſe. Integram illius conſti-

tutionem debemus Nicolao Cuſano lib. de concord. cathol. iij. cap. xxxv. eiuſque meminit Hincmarus Epiſcopus Remenſis epiſt. vj. cap. xvij. *Maximè opportunum, & conducibile iudicauimus*( ait Conſtantinus) *vt ſeruata quotannis conſuetudine, in conſtituto tempore, in metropolitana, id eſt, in Arelatenſi Vrbe, incipiant Septem prouinciæ habere concilium.* quibus ego verbis Arelatem Galliarum metropolim dici omni aſſeueratione confirmo:nam quis hæc,quæ ſtatim ſubſequuntur: *Quomodo ſibi multùm Galliæ noſtræ præſtitum credant, cùm in ea ciuitate præcipiamus eſſe conuentum, in qua diuino quodam munere commoditatum, & commerciorum opportunitas tanta præſtatur?* ad vniuerſam Galliarum diœceſim pertinere non agnoſcit? Profectò non alia ratione ſedes Præfecti prætorio in ea ciuitate fuit conſtituta:etenim certum eſt Gallias omnes, in quibus ſeptemdecim prouinciæ numerantur, Septem prouinciarum ( quoniam antiquior hæc fuerat diuiſio ) nomine comprehendi. Nam & is,qui per totam illam diœceſim Pręfecti vices ſuſtinebat,Septem eſt prouinciarum Vicarius in Notitia Imperij. & Galliæ ipſæ in alio eiuſdem Notitiæ loco Septem prouinciæ vocantur,his verbis: *Sub diſpoſitione viri illuſtris Præfecti prætorio Galliarum diœceſes infrà ſcriptæ: Hiſpaniæ ſeptem prouinciæ, Britanniæ.*

quæ tamen ita edita ſunt, vt non de Gallijs, ſed de Hiſpaniarum prouincijs, quæ ſeptem fuerunt, accipienda videantur. Et verò locus ille, vt rudes & incautos iuuenes moneam, viro clariſſimo & doctiſſimo impoſuit, qui in lib. de verb. ſignific. xiiij. duas tantùm diœceſes, Hiſpanias, & Britannias ſub diſpoſitione Præfecti prætorio Galliarum ponit; Gallias prætermittit, quæ Septem prouinciæ appellabantur; ex quibus vetus hæc inſcriptio intelligenda: ACILIO. GLABRIONI. SIBIDIO. V. C. ET. OMNIBVS. MERITIS. ILLVSTRI. LEGATO. IN. PROVINCIA. ACHAIA. CONSVLARI. CAMPANIÆ. VICARIO. PER GALLIAS. SEPTEM PROVINCIARVM. SACRI. AVDITORII. COGNITORI. &c. Vnum enim totius diœceſeos Galliarum Vicarium fuiſſe liquet ex Notitia Imper. quod & libri noſtri apertè confirmant. Sed obſeruandum eſt nonnunquam omnes Tranſalpinas nationes (quarum tres erant Vicarij) nomine Galliarum deſignari. Sidonius Apollinaris epiſt. ix. lib. v. ad Aquilinum: *In principatu Valentiniani Imperatoris vnus Galliarum præfuit parti, alter ſoliditati.* Vicariam Aquilini pater geſſerat dignitatem in propria Galliarum diœceſi, quæ hîc pars Galliarum eſt: at Sidonij pater Galliarum prætorio (cuius tres erant diœceſes) Præfectus fuerat; hæc Apollinari

*Pag. 364. in edit. Grut.*

*ſoliditas Galliarum:* ſic ille *Gallica tribunalia* dixit epiſt. vj. lib. viij. Ammianus lib. xxvj. *Jtaliam regebat cum Africa & Jllyrico Mamertinus, Gallias prouincias Germanus.* Lapis Romanus:
Pag. 450. in edit. Grut. SEXTO PETRONIO PROBO V. C. PRÆFECTO PRÆTORIO QVATER ITALIÆ ILLYRICI AFRICÆ GALLIARVM. Nec enim dubium eſt, quin Hiſpaniæ & Britanniæ Galliarum hîc appellatione comprehendantur. Britannias certè Gallijs adnumerat Rufus. Sed redeo ad Conſtantinum, in cuius quod dixi conſtitutione, nomine Septem prouinciarum totam diœceſim Galliarum comprehendi, etſi perſpicuum eſt, tamen non caret dubitatione, propter ea quæ ſubijciuntur in extrema conſtitutionis parte: *Jta vt de Nouempopulania & Aquitania ſecunda, quæ prouinciæ longiùs conſtitutæ ſunt, ſi earum Judices occupatio certa detinuerit, ſciant legatos iuxta conſuetudinem mittendos.* quo loco inter prouincias, quæ Septem vocantur, Nouempopulaniam & Aquitaniam ſecundam in vltimis ab Arelate poſuit. At quis tamen Lugdunenſem ſecundam, vtramque Belgicam, Germanias, & alias in Galliarum diœceſi vlteriores, & longiùs remotas non videt? Scrupulum hunc vt euellamus, repetenda eſt temporis illius memoria, quo Conſtantinus in Britannijs Imperator appellatus, Inſulæ

to

totius ſtatu præclarè, vt tunc videbatur, conſtituto, exercitũ in Gallias traiecit: primùm enim omnia ex ſententia ei ſucceſſerunt, totamque diœceſim illam in poteſtatem ſuam redegit, vt memoriæ prodidit Olympiodorus apud Photium: *κρατεῖ* (Κωνσαντῖνος) *πάντων τῶν μερῶν τῆς Γαλλίας μέχρι τῶν Ἄλπεων τῶν μεταξὺ Ἰταλίας καὶ Γαλλίας.* Sed cùm barbaræ nationes vndique in Imperij fines inuolaſſent, Britanniæ, & earum exemplo nonnullæ Galliarum prouinciæ, ope præſidioque Romano deſtitutæ, tantos nihilominùs ſpiritus ſumpſerunt, vt non ſolùm hoſtes propulſauerint, verùm etiam Imperij Romani iugum ceruicibus ſuis deiecerint: quod ita traditur à Zoſimo lib. vj. *ὅτε οὖν ἐκ τῆς Βρεττανίας ὅπλα ἐνδύντες καὶ σφῶν αὐτῶν προκινδυνεύσαντες ἠλευθέρωσαν τῶν ἐπικειμένων βαρβάρων τὰς πόλεις, καὶ ὁ Ἀρμόρυχος ἅπας, καὶ ἕτεραι Γαλατῶν ἐπαρχίαι Βρεττανοὺς μιμησάμεναι κατὰ τὸν ἴσον, σφᾶς ἠλευθέρωσαν τρόπον, ἐκβάλλουσαι μὲν τοὺς Ῥωμαίους ἄρχοντας, οἰκεῖον δὲ κατ' ἐξουσίαν πολίτευμα καθιστᾶσαι, καὶ ἡ μὲν Βρεττανίας καὶ τῶν ἐν Κελτοῖς ἐθνῶν ἀπόστασις κατ' ὃν ἐτυράννει χρόνον Κωνσαντῖνος ἐγένετο τῶν βαρβάρων ἐπαναβάντων τῇ ἐκείνου περὶ τὴν ἀρχὴν ἐκμελείᾳ.* Hæc ſi quis diligenter conſideret, & Conſtantinum cum Zoſimo conferat, facilè animum inducet vt credat, remotiores omnes Galliæ prouincias vſque ad ſecundam Aquitaniam, à Romanis defeciſſe, antequàm promulgata eſſet conſtitutio illa, quæ diem & Conſulem non habet. Idcircò ex alijs

Galliæ prouincijs, quæ illius Imperium detrecta-bant,euocari Iudices,& legati non potuerunt. Nec mirum, ſi is, qui Auguſti nomen vſurpauerat, & orbis ſe Romani rectorem & dominum profite-batur, vrbem, quam Conſtantinam vocauerat, Galliarum ſuarum, vt ipſe loquitur, metropolim eſſe voluerit. Itaque cùm eo Conſtantinus verbo vſus fuerit,quo vniuerſa Galliarum diœceſis com-prehenditur, non eſt audiendus Hincmarus, qui Septem prouincias nullo authore nominat: hanc ille conſtitutionem Theodoſio, & Honorio ad-ſcriptam legiſſe videtur. Quod ſi ita eſt,non temerè quis dixerit Honorium, quod Tyrannus ſtatuerat, eo extincto confirmaſſe, damnataque inuiſi capitis memoria, infœlicem titulum inductum,& gratiſſi-ma Imperatorum nomina ſubſtituta: quod in ſta-tuis, & inſcriptionibus ſæpiùs factitatum nemo ignorat. Et ſanè, quamuis tyrannorum leges, & iu-dicia reſcindantur l. 1. 2. & 7. C. Theod. de infirm. his quæ à tyran. (vnde Pacatus in panegyrico, quinquennium quo Maximus in Gallijs Impe-rium occupauerat,luſtrale iuſtitium vocauit.) Are-las tamen, quem à Conſtantino honorem accepe-rat, poſt oppreſſam tyrannidem, retinuit; quod optimi Principis Honorij clementiæ acceptum re-ferat, oportet.

Supereſt nunc, vt de Hiſpanijs, & Britannijs,

quæ prætorio quoque Galliarum ſubijciuntur, verba faciamus. Fuit primùm Tarraco totius ferè Hiſpaniæ metropolis: Strabo lib. iij. Ταρρακὼν πόλις πρὸς τὰς τῶν ἡγεμόνων ἐπιδημίας εὐφυῶς ἔχει, καὶ ἔστιν ὥσπερ μητρόπολις οὐ τῆς ἐντὸς Ἴβηρος μόνον, ἀλλὰ τῆς ἐκτὸς τῆς πολλῆς. nec extinctus poſteà tantæ ſplendor ciuitatis. Prudentius περὶ στεφ. hym. vj.

*Quo noſtræ caput excitatur vrbis,*
*Cunctis vrbibus eminens Iberis.*

Primas tamen Auguſtæ Emeritæ ( quam plures nummi antiqui coloniam vocant ) apertè defert Auſonius:

*Iure mihi poſt has memorabere nomen Iberum*
*Emerita: æquoreus quam præterlabitur amnis,*
*Summittit cui tota ſuos Hiſpania faſces,*
*Corduba non, nō arce potēs tibi Tarraco certant,*
*Quæque ſinu pelagi iactat ſe Bracara diues.*

Omnibus enim Hiſpanis ciuitatibus Emeritam anteponit Poëta doctiſſimus, Proconſuliſque ( à quo hæc diœceſis priùs regebatur ) tribunal in ea collocatum innuit: nondum enim fortè Vicarium habebat, quem Gratianus, vt author eſt Sulpicius, primùm inſtituit. At præcipitante Imperio, cùm magna ditione Hiſpanias premerent Gothi, ad regium nomen peruenit Toletum: quod hîc perſequi non inſtituimus; ne Reipublicæ Romanæ, cuius pulchritudinem penicillo noſtro imitari non

poſſumus, imaginem Gothicis coloribus deformaſſe videamur.

Poſtrema eſt Britanniarum diœceſis, in qua Londinum vrbs hodie nobiliſſima, & regni Britannici caput, vetus fuit oppidum, copia negociatorum, & commeatuum, vt Tacitus ſcribit, illuſtre: quod Auguſtam appellatum ait Ammianus; eoque referri debet hic Notitiæ locus: *Præpoſitus theſaurorum Auguſtenſium in Britannis.* non hæc tamen antiqua eſt huius diœceſeos metropolis, ſed potiùs Eboracum, Romana colonia: illic ſiquidem Imperatoris fuit palatium, & Britanniarum prætorium; vnde Spartianus in Seuero ciuitatem κατ' ἐξοχὴν dixit: *In ciuitatem veniens, cùm rem diuinam vellet facere, primùm ad Bellonæ templum ductus eſt.* Hactenùs quid de vtriuſque Imperij diœceſibus, & earum metropolibus ſentirem, breuiter expoſui: quòd ſi quis illuſtrius aliquid, & perfectius adferri potuiſſe exiſtimet, non pugnabo; at ille fortaſſe me digitum ad fontem intendiſſe non negabit.

*

*PROVINCIÆ OMNES PROCONſulares, Conſulares, Correctoriæ, aut Præſidales. In diœceſi Orientis quindecim erant prouinciæ. Vetus prouinciarum Index collatus cum Notitia Imperij, & emendatus. Nouella Iuſtiniani xxxj. obiter emendatur. Præſes Syriæ authoritatem habuit olim in Iudæam. Tyrus colonia Romana, & metropolis Conſularis. Berytus colonia, & ſecundæ Phœnices metropolis. Tres primùm Ægypti prouinciæ, poſteà quinque, ſex, & demùm decem. Vtriuſque Asianæ, & Ponticæ vndecim. Thraciæ ſex. Locus Theodoriti illuſtratur, & exponitur. Sex Macedoniæ prouinciæ. Daciæ quinque. Nouella Iuſtiniani xj. emendatur.*

## CAP. IIII.

VNAQVÆQVE diœceſis plures habet prouincias l. 1. C. vt omnes Iudic. l. 3. C. Theod. de equor. collat. Argumentum ingens, nec inſtituti mei: ſed in animo eſt, ne quid à ſtudioſa iuuentute deſideretur, certiora prouinciarum nomina aſcribere; diſſident enim, & diſcordant plerumque inter ſe veteres Notitiæ.

Omnes prouinciæ Proconſulares ſunt,aut Conſulares, Correctoriæ, aut Præſidales: à Conſularibus(licet & earum quoque nomen à Conſulibus, vt ait Caſſiodorus,deſcendat) Proconſulares differunt; quod tritum & vulgare, præſertim in libris noſtris: ita vt prouinciæ ex Proconſularibus aliquando Conſulares, ex Conſularibus Proconſulares fierent. Capitolinus in Marco Antonino: *Prouincias ex Proconſularibus Conſulares,aut ex Conſularibus Proconſulares, aut Prætorias pro belli neceſſitate fecit.* Nullæ Prætoriæ in poſtrema Imperij deſcriptione, quam hac Diatriba informamus. Proconſulares reliquis omnibus authoritate, & dignitate antecellunt Nouell. ciij. aliæ omnes ferè pares: hæ ſolùm Imperatoris nutum reſpiciebant; Proconſularibus Senatus moderatores dabat,aut potiùs Senatus iudicio Princeps ipſe. Lampridius de Alexandro: *Prouincias Proconſulares ex Senatus voluntate ordinauit.*

Orientis diœceſis ( vt quo cœpimus ordine progrediamur) decem in veteri prouinciarum indice) quem edidit Schonhouius, habet prouincias: ſed quindecim ſunt in Notitia ( publicum hoc Imperij breuiarium, cuius apud me fides & authoritas maxima) quinque Conſulares: Syria, Palæſtina, Phœnice, Cilicia, Cyprus. Præſidales octo: Palæſtina ſecunda, Palæſtina ſalutaris, Phœnice Libani,

Euphratenſis, Syria ſalutaris, Meſopotamia, Oſrhoena, Cilicia ſecunda. Reſtant Arabia & Iſauria, quas Præſidalibus adiungere non dubitem. Error perſpicuus in veteri indice, quem cum Notitia conferre non pigebit. Indicis verba ſunt: *Syria Ciliciæ, in qua eſt Antiochia.* ſed alia ſanè Syriæ, alia Ciliciæ Antiochia; Ciliciæ metropolis Tarſus, ciuitas nobiliſſima, quæ non tantùm propter antiquitatem, ſed hoc etiam nomine πρωτόπολις appellari potuit à Nonno lib. xlj.

εἰ δὲ καὶ αὐτὴ
Ταρσὸς ἀειδομένη πρωτόπολις.

Prima verò Syria metropolim habet magnam Antiochiam; legendum ergo: *Syria Cæle, in qua Antiochia.* Eunapius in Libanio: Ἀντιόχεια ἡ τῆς κοίλης καλουμένης Συρίας πρώτη πόλεων. Euſtathius in Dionyſium: αὕτη (Antiochia) ἡ τῆς κοίλης Συρίας προκαθημένη. Nec omittenda tamen Cilicia vetuſtiſſima prouincia: ſecunda enim dicebatur illa, quæ in veteri indice iuxta montem Taurum conſtituitur; vnde Trachea appellata, cui Veſpaſianus (vt Suetonius & Victor ſcribunt) prouinciæ formam dedit. Sophena poſtrema Syriæ prouincia eſt in veteri indice, quem ego paulò ante Notitiæ editionem à ſtudioſo quodam conſcriptum exiſtimo: legerat ille apud Melam, & Plinium, Syriam Sophenam; verùm hanc Strabo, & Stephanus, Armeniæ

finibus includunt: quod confirmatur l. 5. de offic. mag. mil. nec in prouinciæ leges venerat, donec Iuſtinianus nouam Armeniæ formam compoſuit Nouell. xxxj. vbi non Τζοφάνης ſed Σοφανὴ, vt arguit d. l. 5. ſcribendum eſt. Hæc quarta Armenia, quam Σοφανηνὴν Ἀρμενίαν vocat Procopius lib. iij. de ædific. Iuſtin. Non debuit etiam in indice prætermitti Arabia, quæ prouinciæ ius quondam à Traiano receperat: ſed liber ille vitioſus ad nos peruenit, aut certè eius author multa oſcitans allucinatus eſt. De Phœnice Libani, de Palæſtina ſecunda, & ſalutari verbum in eo nullum.

Magna in primis & illuſtris fuit olim Syriæ prouincia. Herodianus lib. ij. Συρίας ἡγεῖτο πάσης, πολλὴ οὖσα καὶ μεγίστη ἀρχὴ τότε, τοῦ δὴ Φοινίκων ἔθνους παντὸς, καὶ μέχρις Εὐφράτου γῆς ὑπὸ τῇ Νίγρου οὔσης ἐξουσίᾳ. adiuncta ei iam fuerat Iudæa, quam προσθήκην τῆς Συρίας vocat Ioſephus. Et Syriam pro Iudæa dixit Tertullianus in apolog. *Oblatum Pontio Pilato Syriam tunc ex parte Romana procuranti.* Sed quamuis à Procuratore Iudæa tunc regeretur, potior tamen erat in tota illa prouincia Præſidis Syriæ authoritas, apud quem ipſos Iudææ Procuratores cauſam de capite dixiſſe, ex Ioſepho, & Tacito compertum eſt. Quapropter Lucas, vt tempus, quo Chriſtus generis humani ſalus, hominem in Iudæa induit, memoriæ mandaret, Syriæ Præſidem nominat: ἡγεμονεύοντος τῆς

Συ

Συρίας Κυρείνου. Ambroſius in Lucam: *Si Conſules aſcribuntur tabulis emptionis, quantò magis redemptioni omnium debuit tempus aſcribi? Habes ergo omnia, quæ in contractibus eſſe conſueuerunt. Vocabulum ſummam illic poteſtatem gerẽtis, diem, locum, cauſam.* Mox omnis Palæſtina Syriæ penitùs adempta, & Proconſularis primùm prouincia facta eſt, vt ſcribit Iuſtin. Nouell. ciij. Hieronymus epiſt. ad Euſtoch. xxvij. *Cúmque Proconſul Palæſtinæ, qui familiam eius optimè nouerat, iuſſiſſet præmiſſis apparitoribus parari prætorium.* Sophiſtam Hilarium totius Palęſtinæ Rectorem à Theodoſio creatum narrat Zoſimus lib. iiij. Ἱλάριος διὰ τὸ μέγεθος τῆς ἀρετῆς ἐπαίνων ἀξιωθεὶς, ἄρχειν παρὰ βασιλέως ἐτάττετο Παλαιστίνης ἁπάσης. Ex vna demùm Palęſtina prouinciæ tres prodierunt, de quibus in Notitia, & Nouell. Iuſtiniani cxiij. Phœnicem etiam abſcidit Syriæ Adrianus; à quo, vt Tyrus ſplendidiſſima iuris Italici colonia l. 1. & vlt. de cenſib. nouæ eſſet prouinciæ metropolis Paulus Sophiſta impetrauit: hæc metropolis Conſularis vocatur act. ix. Concil. Chalcedon. *Poſt conſulatum Flauij Zenonis & Poſthumiani, ſub die quinto Kalendarum Martiarum in colonia Tyro clariſſima, metropoli Conſulari* &c. Rectè; nam Phœnice, vt Notitia docet, & nos iam monuimus, Conſularis erat prouincia. Ipſa demùm Phœnice à Theod. & Valentin. diuiſa,

primæ metropolis iam indicata eſt; ſecundæ caput fuit Berytus l. 1. de metrop. Ber. hæc Libano (vnde nomen prouincia accepit) proxima. Iuſtin. edict. iiij. Nonnus lib. xlj. Dionyſiac.

> ἦν μεταναστα
>
> Υἷεες Αὐσονίων ὑπατήϊα φέγγεα Ῥώμης
>
> Βηρυτὸν καλέουσιν, ἐπεὶ Λιβάνῳ πέσε γείτων.

Vbi Berytus elegantiſſimè Romana colonia appellatur, quod iam ab Vlp. & Caio teſtatum fuerat l. 1. 7. & vlt. de cenſib.

Ægyptus omnis in ſex prouincias diuiditur: Ægyptus, Thebaïs, Libya ſuperior, Libya inferior ſeu Pentapolis, & Arcadia à Præſidibus reguntur; Auguſtamnica à Correctore, quanquam ad Præſidem Auguſtamnicæ ſcripta ſit l. 34. C. Theod. de decur. Tres tantùm Ægypti prouincias priſcis fuiſſe temporibus narrat Ammianus lib. xxij. Ægyptum, Thebaïdem, & Libyam; duas deinde adiectas, Pentapolim, & Auguſtamnicam. De Arcadia nihil author ille, ſed nec potuit; quoniam Arcadij Imperatoris, cuius nomen hæc prouincia conſequuta eſt, hiſtoriam non attigit. Sed in vj. can. primæ Nicænæ Synodi, quo Patriarchæ Alexandrini poteſtas in omnem Ægypti diœceſim diffunditur, hæ tres numerantur: Ægyptus, Libya, Pentapolis τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, &c. Sic iterum Nicæni Patres loquuti ſunt: in epiſt.

ad Ægypti Epiſcopos apud Gelaſium in actis eiuſdem Concilij, & Theodoritum lib. j. cap. ix. τῇ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ, καὶ τοῖς κατ' Αἴγυπτον Λιβύην, καὶ Πεντάπολιν ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς. Sic ipſe Alexandriæ Epiſcopus in ſubſcriptione, qua fides Nicæna confirmatur. Nec alijs vſus eſt verbis Zoſimus, vbi de ea Imperij diuiſione agit, cuius authorem laudat Conſtantinum: ὑπάρχῳ γὰρ ἑνὶ τὴν Αἴγυπτον ἅπασαν πρὸς τῇ Πενταπόλει καὶ Λιβύῃ, (ſic enim ſcribendum arbitror) καὶ τὴν Ἑῴαν ἄχρι Μεσοποταμίας παρέδωκε. Poſteà tamen in epiſt. Synodi Alexandrinæ, quam apologiæ ſecundæ Athanaſius inſeruit, quatuor Ægypti prouinciæ nominantur, inter quas Thebaïs: ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συναχθεῖσα· ἀπό τε τῆς Αἰγύπτου, καὶ Θηβαΐδος, καὶ Λιβύης, καὶ Πενταπόλεως. Hæc diligentiùs perſcrutari non valdè neceſſarium. At illud certè ſilentio prætereri non debet, decem tandem fuiſſe Ægypti prouincias: tot enim ex hac diœceſi Metropolitanos conuocari iubent Theod. & Valent. epiſt. ad Dioſcorum, quæ act. Concil. Chalcedon. recitatur: *Igitur & tua ſanctitas, ſumptis ſecum decem reuerendiſſimis Metropolitanis Epiſcopis, qui ſub tua degunt diœceſi, & alijs ſimiliter decem ſanctis Epiſcopis, Kalendis Auguſtis Epheſum metropolim Aſiæ conuenire feſtinet.* Equidem in edicto Iuſtiniani de Ægypti prouincijs, quod earum numerum auctum oſtendit, non vnam Ægyptum, non

Thebaïdem vnam inuenies. Victor Tunnunenſis in chronico: *Frontinus Epiſcopus, Antinoenſi primæ Thebaïdæ ciuitati, exilio deputatur.*

Vtraque Aſiana & Pontica in Notitia Imperij vndecim conſtat prouincijs, ſi Aſiam principem Aſianę prouinciam, quam à prima ſede Librarij inſcitia deiecerat, reſtituas. Duodecim ſunt in veteri indice; ſed Galatia Ponticę tranſcribenda eſt. In hac diœceſi Aſia Proconſulem; Pamphilia, Helleſpontus, Lydia Conſulares; Piſidia, Lycaonia, Phrygia prima ſeu Pacatiana, Phrygia ſecunda vel ſalutaris, Lycia, Caria, Inſulæ, Præſides habent.

In Pontica Conſularibus obtemperant Galatia & Bithynia; Correctori Paphlagonia; Præſidibus Honorias, Cappadocia prima, Cappadocia ſecunda, Hellenopontus, Pontus Polemoniacus (malè πολεμαϊκὸς in ſubſcriptionibus Concil. Nicæni apud Gelaſium, & Polemaïcus in quibuſdam libelli prouinciarum editionibus) Armenia prima ſeu maior, Armenia ſecunda ſeu minor, Galatia ſalutaris aut ſecunda. Sed deſiderantur in veteri indice vtraque Galatia, & ipſa etiam Baſilij atque Anthemij contentione nobilis olim Cappadocia ſecunda, quæ Ponticarum prouinciarum numerum explent. Tertiam poſteà Cappadociam (vt ſecundâ Diatribâ oſtendemus) addidit Iuſtinianus; Honoriadem autem cum Paphlagonia, &

Hellenopontum cum Ponto Polemoniaco coniunxit Nouell.xxviij. & xxix. quatuor etiam Armenias conſtituit Nouell. xxxj.

Thraciæ ſex prouincias agnoſcunt omnes: Europam, & Thraciam Conſulares; Hæmimontum, Rhodopem, Mœſiam ſecundam, Scythiam Præſidales: ſed malè Hæmimontus in veteri indice Illyrico adſcribitur. Hac prouincia ad ſuam diœceſim reuocata, ſecundæ Thraciæ nomen eo in loco delendum eſt. Cæterùm quod de Aſiana Pontica & Thracia retuli, confirmat hic Theodoriti locus lib.v.cap.xxviij. ἐποιεῖτο τὴν προμήθειαν τῆς Θρᾴκης ἁπάσης, εἰς ἓξ αὕτη ἡγεμονίας διῄρηται, καὶ τῆς Ἀσίας ὅλης, ὑπὸ ἕνδεκα γὰρ καὶ αὕτη ἀρχόντων ἰθύνεται. καὶ μέν τοι καὶ τὴν Ποντικὴν τούτοις κατεκόσμει τοῖς νόμοις, ἰσαρίθμους γὰρ καὶ αὕτη ἔχει τῆς Ἀσίας τοὺς ἡγουμένους. Theodoriti mentem interpres aſſequutus non eſt: ἡγεμονίας; non Epiſcopatus, ſed prouincias: ἄρχοντας atque ἡγουμένους, non Epiſcopos, ſed Metropolitanos vertere debuit: niſi quis potiùs hunc locum ita reddendum putet: *Ad omnem Thraciam (in ſex illa prouincias diuiſa eſt) & vniuerſam Aſiam, quæ ab vndecim Præſidibus regitur, curam contulit; Ponticam etiam, quæ totidem habet, quot Aſia Rectores, inſtitutis, & legibus ornauit.* Sic enim Theodoritus ciuilem harum diœceſeon formam expreſſit, cui Eccleſiaſtica reſpondebat.

In Macedonia ſex omnino prouinciæ: Procon-

ſularis eſt Achaïa; Conſulares Macedonia,& Creta; Præſidales Theſſalia, Epirus vetus, Epirus noua,& pars Macedoniæ ſalutaris vel ſecundæ.

In Dacia quinque: Dacia Mediterranea Conſularis; Dacia Ripenſis, Mœſia prima, Dardania, Præualitana, & pars Macedoniæ ſalutaris, Præſidales. Quòd ſi quis Macedoniam, & Daciam cum Occidentis Illyrico coniungat, parum à Notitia differt Rufi breuiarium; vbi omnes Macedoniæ, Daciæ, & Illyrici prouincias vnum Illyrici nomen complectitur: quod etiam obſeruatum eſt in veteri indice; ſi quid in eo peruerſum, & conturbatum eſt,facilè ex Rufo,& Notitia reſtitui poterit. Omittitur tamen in Rufi breuiario Dardania, quam ab eo prætermiſſam vix mihi perſuadeo. Nec rectè legitur in Nouell. Iuſtin. xj. Mœſia ſecunda: nam Mœſia prima, quæ ſuperior appellatur, Daciæ ſine vlla controuerſia prouincia eſt; ſecunda verò Thraciæ. Salutaris autem vel ſecunda Macedonia, cuius in Notitia pars Daciæ, pars Macedoniæ aſſignatur, Rufo & indicis authori incognita videtur. Legimus tamen in ſubſcriptionibus Synodi Nicænæ: Μακεδονίαν πρώτην καὶ δευτέραν: & ſecunda Macedonia à Iuſtiniano inter Daciæ prouincias recenſetur Nouell. xj.

*JTALIÆ DECEM ET SEPTEM prouinciæ. Has inter non ſunt Alpes Graiæ & Pœninæ. Valeria malè omittitur in indice prouinciarum. Recens eſt hæc prouincia. Vetus Jtalia: cuius olim terminus Rubicon, poſteà Varus. Emendatur Lucanus. Adnexum Flaminiæ Picenum. Sex in Notitia Jllyrici prouinciæ. Septima adijcienda eſt Pannoniæ pars Valeria. Tres Pannoniæ. Præualitana Orientis prouincia, Valeria Occidentis. Africæ ſex prouinciæ. Proconſulares Epiſcopi, & Synodi. Duæ Numidiæ. Emendatur locus ex Synodo Carthaginenſi. Sariana & Anthypatiana prouinciæ reijciuntur. L. 1. de offic. Præfect. prætor. Afr. illuſtrata. Septem prouinciæ in Africa à Juſtiniano conſtitutæ. Duæ Mauritaniæ, Tingitana & Cæſarienſis. Septemdecim Galliarum prouinciæ. Duæ Lugdunenſes. Vna Narbonenſis. Auctus earum numerus. Narbonenſis primùm Conſularis. Gallia omnis à Cæſare in tres, & ab Auguſto in quatuor partes diuiſa, ſeptem poſteà prouincias habuit. Quæ poſt Conſtantini Tyranni conſtitutionem in Jmperio remanſerant, Septem prouinciarum nomine ab alijs diſtinctæ. Quinque prouinciæ. De his accuratè inquiritur.*

*Una Narbonenſi olim comprehenſæ. Lugdunum caput Galliarum. Aquitaniæ à Gallijs ſeparatæ. Hiſpaniarum prouinciæ primùm tres, poſteà quinque, demùm ſeptem, quæ vetus Quinque prouinciarum nomen retinuerunt. Inſcriptio l.3. de pagan. & ſacrif. illuſtratur. Hiſpania alter orbis. Britanniarum quinque prouinciæ.*

## CAP. V.

ORDO nunc poſtulat, vt Occidentem quoque perluſtremus, ac primùm Italiam, cuius ſeptemdecim ſunt, omnium ferè conſenſu, prouinciæ: harum octo à Conſularibus reguntur, Campania, Tuſcia cum Vmbria, Picenum Suburbicarium, Flaminia cum Piceno annonario, Æmilia, Venetia, Liguria, Sicilia: à Correctoribus duæ, Apulia cum Calabria, Lucania cum Brutijs: à Præſidibus ſeptem, Samnium, Valeria, Sardinia, Corſica, Rhetia prima, Rhetia ſecunda, Alpes Cottiæ. At Paulus Diaconus octodecim numerat. Et ſanè Alpes Graiæ in veteri etiam indice, Italiæ aſcribuntur; ſed eas ſtatim in Galliarum diœceſi cum Pœninis vnius prouinciæ nomine coniunctas reperies; quod Notitia, & omnes Gallicæ deſcriptiones confirmant: atque ita augendus non eſt Italicarum prouinciarum numerus. Non debuit tamen in veteri indice prætermitti

Va

Valeria; nam inter Italiæ prouincias ab Arcadio, & Honorio ponitur l. vlt. C. Theod. quib. equor. vſ.conceſſ.quæ ſcripta eſt ad vrbis Vicarium,eique in Notitia hæc ſubijcitur prouincia; cuius recens, opinor,inſtitutio:nec enim Valeriæ meminit Æthicus,à quo omnes ferè Italię prouincię nominantur. Silet & Pollio,cui intima Italiæ prouincia incognita eſſe non potuit: *Correctorem* (inquit ille in Tetrico ſeniore) *totius Italiæ fecit, id eſt, Campaniæ, Samnij, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, atque Vmbriæ, Piceni, & Flaminiæ, omniſque Annonariæ regionis*.Hæc illa vetus Italia:

*quam rerum maxima Roma*
*Impoſuit terris.*

Imò extra priſcos fines Italiæ Flaminia. Acro in Horat.Od.iiij.lib.iiij. *Metaurus fluuius eſt,de Piceni prouincia oriens, in Flaminiam decurrens,quæ regio Gallia dicebatur*.Galliam enim ab Italia diuidebat olim Rubicon; aucta poſteà Italia ad Varum vſque, vt ex Plinio, Vibio Sequeſt. Seruio, & alijs notiſſimum eſt. Qua de re corruptus vbique legitur Lucani verſus:

*Finis & Italiæ promoto milite Varus.*

Scribendum certè,*promoto limite*: nam cùm anteà de Rubicone dixiſſet:

*Gallica certus*
*Limes ab Auſonijs diſterminat arua colonis.*

G

Non fruſtrà promotum poſteà limitem addit. Vnum eſt in veteri indice Picenum, duplex in Notitia; Suburbicarium, & Annonarium: de Suburbicario agitur in l. 12. C. Theod. de indulg. debit. Annonarium Flaminiæ adnexum eſt in Notitia; Hæc nimirum regio Annonaria Pollioni, quæ cum Flaminia ab eodem ſolebat magiſtratu gubernari, vt probant lapides antiqui: CVRANTE L. TVRCIO. SECVNDO. APRONIANI. PRÆF. VRB. FIL. ASTERIO. CORRECT. FLAM. ET PICENI. & rurſus: FABIO. TITIANO. V. C. CORRECTORI. FLAMINIÆ. ET. PICENI. Nos tamen Notitiam ſequuti, Flaminiæ & Piceno Annonario Conſularem dedimus: ſed nihil ferè à Correctore differt Conſularis, indeque Tuſciæ & Vmbriæ, Campaniæ, Venetiæ, Siciliæ, quibus in Notitia præſunt Conſulares, in lapidibus antiquis ſæpè Correctores tribuuntur. Legimus autem in alijs inſcriptionibus Iuridicum & Conſularem Picenianum, quæ ad Picenum Suburbicarium referri poſſunt: nam & hæc prouincia Conſularem habuit.

*Pag. 165. & 407. in edit. Grut.*

Illyrici ſex ſunt prouinciæ in Notitia: Præſidibus parent, Dalmatia, Pannonia prima, Noricum Mediterraneum, & Noricum Ripenſe: Conſulari, Pannonia ſecunda: Correctori, Sauia. Septima hîc deſideratur Valeria, quæ in Rufi breuiario, & in veteri

indice prouinciarum non omittitur; factum id Librarij culpa: neque enim puto neglectam in Notitia prouinciam, cui Ducem præpoſitum inuenio: hæc nimirum tertia Pannonia. Nam inter populos, quos Præfecto Illyrici Conſtantinus regendos dedit, enumerat Zoſimus lib. ij. Δάκας τε Τειβαλλοὺς, καὶ τοὺς ἄχρι τῆς Βαλερείας Παίονας. & Marcellinus lib. xix. Valeriam, partem quondam Pannoniæ, prouinciam à Diocletiano inſtitutam, filiæque nomine illuſtriorem factam prodidit. Et ſic rectè tres ab Optato lib. ij. memorantur Pannoniæ. Sunt qui eandem cenſeant Præualitanam, & Valeriam, quoniam coniunctæ leguntur in veteri indice, ſed perperam: nam Præualitana Orientis prouincia fuit; at Valeriæ Dux, in Occidentis limite conſtituitur; & Præualitanam inter Daciæ prouincias retulit Iuſtinianus Nouell. xj.

In Africa ſex ſunt prouinciæ, Carthaginenſis vel Zeugitana, ſola in Occidente Proconſularis; cuius ob id Epiſcopi & Synodi Proconſulares dicebantur in Concil. Carthagin. ἐπελέγησαν Επίσκοποι ἀνθυπατιάνοι. Victor Tunnunenſis in chronico: *Proconſularis concilij prouinciæ Africanæ Sacerdotes.* & ſtatim: *Concilij Numidiæ Epiſcopi ad inſtar Proconſularium Sacerdotum collecti.* Byſacium, & Numidia Conſulares; Tripolis, Mauritania Cæſarienſis, & Sitifenſis Præſidales. Omnes veteri hac

*Pag.* 361. *in edit. Grut.* inſcriptione comprehenduntur: L. ARADIO. VAL. PROCVLO. V. C. &c. PROCONSVLI. PROVINCIÆ. AFRICÆ. VICE. SACRA. IVDICANTI. EIDEMQVE. IVDICIO. SACRO. PER. PROVINCIAS. PROCONSVLAREM. ET. NVMIDIAM. BYZACIVM. AC. TRIPOLIM. ITEMQVE. MAVRETANIAM. SITIFENSEM. ET. CÆSARIENSEM. PERFVNCTO. Eaſdem recenſet Rufus, cui cum Notitia & veteri indice omnino conuenit: nec diſſentiunt acta collat. Carthag. *Præſto ſunt vniuerſi, de omnibus ſcilicet prouincijs Africanis id eſt, de prouincia Procõſulari, de prouincia Byſacenſi* (ſic enim legendum eſt) *de Numidia, de Mauritanijs Sitifenſi, & Cæſarienſi, ſed etiam & de Tripolitana prouincia*. Legebatur in veteri indice Byſantiũ: ſimilis error in Itinerario Antonini apud Varronem & Hieronymũ, à doctiſſimis viris iam deprehenſus eſt. Sed duas tandem aliquando fuiſſe Numidias, colligi poteſt ex Synodo Carthaginenſi (quæ poſt xij. Honorij, & viij. Theodoſij conſulatum celebrata eſt) his verbis, quibus aliæ etiam Africæ prouincię exprimuntur: Τοποτηρηταῖς τῶν Ἀφρικανῶν ἐπαρχιῶν, τοῦτ' ἔστι τῶν δύο Νουμιδιῶν, τῆς Βυζακηνῆς, Μαυριτανίας, τῆς Σαρειανῆς, καὶ Τριπόλεως, τῆς Βικεντίῳ κολουσιτάνῳ Φουρτουνατιάνῳ Νεαπολίτῃ, καὶ τοῖς λοιποῖς Ἐπισκόποις τῆς Ἀνθυπατιανῆς χώρας. Deprauatus ſanè locus, & Latinæ

editionis ope ita reſtituendus: Μαυριτανίας Σιτιφενσῆς καὶ Μαυριτανίας Καισαριανῆς καὶ Τριπ. &c. magnus τῆς οἰκουμένης περιηγητὴς Ortelius, ex mendoſa huius loci ſcriptura Sarianam hauſit prouinciam, inauditum hactenùs nomen; & Ανθυπατιανὴν Proconſularem eſſe non vidit Balſamonis interpres, cui nimiùm credulus μακάριος Ortelius, Anthypatianam nouam rurſus finxit prouinciam. Ad extremum Iuſtinianus Africam, cui Vandali acerbiſſimum ſeruitutis iugum impoſuerant, armis victricibus liberatam, in ſeptem partitus eſt prouincias: Tingitanam, Carthaginem, quæ Proconſularis anteà vocabatur, Byſacium, & Tripolim Conſulares; Numidiam, Mauritaniam, & Sardiniam Præſidales l. 1. de offic. Præf. præt. Afr. Verùm hîc plerique non Tingi, ſed Zeugi ſcribunt, quibus non aſſentior. Nam quid aliud eſt Zeugitana, in qua (vt ſcribunt Æthicus & Iſidorus) erat Carthago, quàm Proconſularis? Victor Vticenſis Epiſcopus lib. j. *Exercitui Zeugitanam vel Proconſularem funiculo hæreditatis diuiſit.* Nec dubium herclè Tingitanam, quæ vigente Occidentis Imperio Hiſpanijs attributa fuerat, Africanæ diœceſi reſtitutam. Nam Iuſtinianus in l. 2. de offic. Præf. præt. Afric. vbi, diſpoſitis militum ſtationibus, totius Africæ aditus præcludit, ſepta valido iubet præſidio muniri. Φρούριον ait Procopius orat. vj. ὧν ποτε, σεπτὸν ὄνομα,

ὅπερ ἐδείμαντο μὲν ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις Ῥωμαῖοι, Βανδίλων δὲ οὐκ ἐπιμελουμένων καθεῖλεν ὁ χρόνος. ὁ δὲ καθ' ἡμᾶς Ἰουστινιανὸς, τεῖχει μὲν ἐρυμνὸν, φυλακτηρίῳ δὲ ἰσχυρὸν κατεστήσατο. Septum quid ſit,notum omnibus:vocis tamen originem à ſeptem fratribus,quod montis nomen eſt, deducit Procop. lib.j.de bell. Vandal. Σέπτον καλοῦσι φρούριον οἱ ἐπιχώριοι, λόφων τινῶν ἑπτὰ φαινομένων ἐνταῦθα. τὸ γὰρ σέπτον ἑπτὰ τῇ Λατίνων φωνῇ δύναται. Id verò certum eſt, Ἑπτάδελφους à Ptolemæo & alijs Geographis, in Tingitana conſtitui;de qua nihil tamen in d. l. 2. quia eundem, vt conijcio, cum Mauritania Cæſarienſi à Iuſtiniano Ducem acceperat, quod in alijs quoque prouincijs ſæpè factum negari non poteſt. Iam Gallia & Hiſpania, atque ipſa omnium nationum victrix Italia, in poteſtatem ditionemque exterarum gentium venerant; atque ideò Iuſtinianus Tingitanam ex Hiſpaniæ, & Sardiniam ex Italiæ calamitate incolumes,ad Africam adijcere coactus eſt:quo etiam tempore Siciliam Thraciæ acceſſiſſe alio loco diximus. Tutius eſt ergo, vt veterem in l.1. de offic.Præf.præt.Afr. ſcripturam retineamus: nam ſi Mauritanias omnes in vnam prouinciæ formam confundi permittimus, ſex tantùm in illa diœceſi remanent prouinciæ. Mauritanias quidem ab initio Claudius Cæſar,vt author eſt Dion lib.lx. in Tingitanam & Cæſarienſem diuiſerat: ſed vbi cum Hiſpanijs coniuncta eſt Tingitana, ex ea Siti-

ſenſem receſſam arbitror; nec temerè in alia Synodo, quæ etiam poſt conſulatum Honorij XII. & Theodoſij VIII. Carthaginem conuenit, Tingitana & Sitifenſis eoſdem habent legatos, vt oſtendunt tres, his conceptæ verbis ſubſcriptiones: *Legatus prouinciæ Sitifenſis vel Mauritaniæ Tingitanæ.* eoque me coniectura ducit, vt exiſtimem, aut nihil in Eccleſiaſticæ prouinciæ forma immutatum, & ab eodem Epiſcopo Tingitanæ vel Sitifenſis nomen vſurpatum, aut in Eccleſiaſtica politia, has prouincias ſemper coniunctiſſimas fuiſſe. Sedenim abolito tandem Sitifenſis nomine, ad priſcam diuiſionem redijt Iuſtinianus, duaſque ſtatuit Mauritanias, Cæſarienſem, quam ſimpliciter Mauritaniam appellauit, & Tingitanam. quamobrem rectè Stephanus: Μαυριτανίαι δύω· ἡ μὲν Τιγγιτάνη, ἡ δὲ Καισαρεία.

Decem & ſeptem Galliarum numerantur prouinciæ: ſex Conſulares, Viennenſis, Lugdunenſis prima, Germania prima, Germania ſecunda, Belgica prima, Belgica ſecunda; vndecim Præſidales, Aquitania prima, ſecunda, tertia ſeu Nouempopulania, Lugdunenſis ſecunda, tertia, quarta (quæ Senonia appellatur) maxima Sequanorum, Narbonenſis prima, Narbonenſis ſecunda, Alpes maritimæ, Alpes Pœninæ cum Graijs. A Marcellino tamen & Rufo duæ tantùm Lugdunenſes, & vna

Narbonenſis memorantur. Verùm haud longo poſt tempore diuiſa eſt Narbonenſis. Extat in Concilio Aquileienſi, ſub Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio, epiſtola ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſium, & Narbonenſium primæ & ſecundæ; fit etiam mentio de ſecunda Narbonenſi in Concilio Taurinenſi. Et hæc quidem prouincia Proconſularis primùm fuit, vt docet inſcriptio l. 4. C. ad l. Iul. de adult. Auſonius in Narbon.

*Tu Gallia prima, togati*
*Nominis attollis Latio Proconſule faſces.*

Pag. 463. in edit. Grut. Antiqui lapides: L. RANIO. V. C. COS. CVRATORI. REIP. MEDIOLANENSIVM. CVRAT. REIP. NOLANORVM. PROCOS. PROVINCIÆ. NARBO-
Pag. 407. NENSIVM. &c. L. FABIO. CILONI COMITI IMP. L. SEPTIMI SEVERI. PROCOS. PROV. NARBON. &c. ſunt & aliæ huiuſmodi inſcriptiones. Nos vltimam Galliarum diuioſinem ſequuti, eam retulimus ex Notitia Imperij, veteri indice, & Gallicis deſcriptionibus, in quibus non ſolùm prouinciæ, ſed ipſæ metropoles nominantur. Galliam autem in tres primùm partes Cæſar diuiſerat; ſed Auguſtus ( vt Strabo author eſt ) quatuor prouincias conſtituit: Belgicam, Aquitanicam, Lugdunenſem, & Narbonenſem. Eò pertinere videtur vetus hoc monumentum Romanum: DIS. MANIB. ATTI-
Pag. 1112 CO. IIII. PROVINCIARVM. GALLIARVM. SERVO.

C. LICINIVS. &c. quarum tres coniunguntur hac inſcriptione: L. MVSSIO. ÆMILIANO. TRIVM. PROV. GALL. LVGDVNENS. NARBONENS. ET. AQVITANENS. PROC. Prætermiſſa eſt Belgica, quia remotior, & Germaniæ (quæ ſæpè à Gallijs diſtinguitur) proxima. Certè Lugdunum Belgicæ ciuitas, Germaniæ caput dicitur in Itinerario Antonini: *A Lugduno capite Germaniarum, Argentoratum M. P. CCC. XXV.* Septem poſteà fuerunt in Gallijs prouinciæ (vnde Septem prouinciarum nomen) quæ ſic rectè nominabuntur, ſi ſingulas tantùm eiuſdem nominis admittimus, Germania, Belgica, Lugdunenſis, Aquitania, Narbonenſis, Viennenſis, Alpes. Scio Viennenſem Narbonenſis antiquitùs partem fuiſſe; malo tamen Maximam Sequanorum in Lugdunenſi comprehendere, quia in quibuſdam Galliæ Notitijs quinta adhuc Lugdunenſis appellatur. Nec recens quidem hæc Septem prouinciarum eſt diuiſio: nam Macer, qui Antonini temporibus claruit in l. 3. de offic. adſeſſ. iam diuiſam fuiſſe Germaniam apertè teſtatur. Verùm aucto prouinciarum numero, extincta non eſt, vt anteà diximus, Septem prouinciarum appellatio, qua Conſtantinus Tyrannus vniuerſam Galliarum diœceſim intellexit. Quoniam tamen eius pars iam à ditione Romana receſſerat, facilè patiar

*Pag. 440. in edit. Grut.*

prouincias quæ in fide remanſerant (vt à reliqua Gallia diſcernerentur) Septem prouinciarum nomen retinuiſſe; non quòd ſeptem tantùm eſſent: nec enim id quiſquam certò compertum habere poteſt: hoc tantùm diſcimus ex Procopio, Rhodanum non longo poſt tempore, Romanis limitem fuiſſe: ſic enim ille de Galliarum ſtatu ſupremis Imperij temporibus lib. Gotthic. j. ἕως μὲν οὖν πολιτεία Ρωμαῖοι ἡ αὐτὴ ἔμενε Γαλλίας τὰς ἐντὸς Ροδανοῦ ποταμοῦ (ſic enim & interpres legit) βασιλεὺς εἶχεν, ἐπεὶ δὲ αὐτὴν Ὀδόακρος ἐς τυραννίδα μετέβαλλε. Τότε δὴ τοῦ τυράννου σφίσιν ἐνδιδόντος, ξύμπασαν Γαλλίαν Οὐισίγοτθοι ἔσχον, μέχρις Ἄλπεων. Itaque ſeptem ſint prouinciæ non à numero, ſed ex Tyranni deſignatione; ex qua factum, vt quod remanſerat in Imperio, hoc nomine poſteà à reliquis Gallijs ſecerneretur. Extat Bonifacij Pontificis Max. epiſtola, cuius hæc inſcriptio: *Bonifacius Epiſcopus Patroclo, Remigio, & cæteris Epiſcopis per Gallias & ſeptem prouincias conſtitutis.* eandem legimus ἐπιγραφὴν in epiſtola Zoſimi (cui Bonifacius ſucceſſit) ab illuſtriſſimo & doctiſſimo Cardinali Baronio edita tom. v. *Zoſimus vniuerſis Epiſcopis per Gallias & ſeptem prouincias conſtitutis.* verùm illa Silueſtro tribuitur in Viennenſium antiquitatum collectione; qua de re commodiùs ſequenti Diatriba diſceptabitur. De numero igitur prouinciarum huiuſmodi non

magnoperè laboro, ipſe Hincmarus & alij, qui earum nomina proferunt, non ſibi conueniunt, & octauam admittere cogantur neceſſe eſt. Alpinam enim, quæ ſeptima illis eſt, in duas anteà prouincias diuiſam docet Rufus. Nec ad Septimaniam, cui Aquitaniæ tribui non poſſunt, reſpicere potuit Conſtantinus.

Porrò quinque etiam prouincias ex illis decem & ſeptem, à Gallijs aliquando diſtinctas, offendimus: nam in Concilijs Valentino & Taurinenſi, hæc legitur inſcriptio: *Dilectiſſimis fratribus per Gallias & quinque prouincias conſtitutis.* Sic Maximus Tyrannus in epiſtola ad Siricium Pontif. Max. & Symmachus lib. iiij. ad Protadium loquuti ſunt. Quinque prouincias, quas Iuſtinianus coniunxit Nouell. l. huc referre ineptum eſſet. Necme fugit Hiſpanias quinque prouinciarum nomine cenſeri; quod etiam paulò poſt oſtendam. Sunt & in Notitia Occidentis duo rationales, vnus ſummarum, alter rei priuatæ per quinque prouincias. Sunt denique (quod tamen ad ciuilem prouinciarum adminiſtrationem pertinere minimè poteſt) tractus Armoricani & Neruicani limitis (cui Præfectus dux erat) quinque prouinciæ. In quibus ego doctiſſimorum virorum ſententias longè meæ antepono; dicam tamen verecundè, ſatius videri duas Narbonenſes, Viennenſem, & Alpes mari-

timas, atque Pœninas, hac quinque prouinciarum appellatione comprehendi, præſertim in vtraque Synodo Taurinenſi & Valentina, quæ ad res Gallicas potiſſimùm ſpectant: in hac enim de Foroiulienſi ſecundæ Narbonenſis Epiſcopo actum eſt; in illa exortæ de extraordinaria Maſſilienſis Epiſcopi in eandem prouinciam authoritate, & de Viennenſis prouinciæ metropoli contentiones prudenter ſedatæ & reſtinctæ ſunt. Nec video quare de his controuerſijs, alterius diœceſeos, & Hiſpaniæ potiùs quàm Italiæ Epiſcopi, certiores fieri debuerint.

Cæterùm quinque illæ prouinciæ vna primùm Narbonenſi continebantur; quod Auſonius his verſibus non obſcurè ſignificat:

*Inſinuant quà ſe Sequanis Allobroges oris,*
*Excluduntque Italos Alpina cacumina fines,*
*Quà Pyrenæis niuibus dirimuntur Iberi,*
*Quà rapitur præceps Rhodanus genitore Lemanno:*
*Interiuſque premũt Aquitanica rura Cebennæ,*
*Vſque in Tectoſagas primæuo nomine Belcas,*
*Totum Narbo fuit.*

Hæ ſunt in quibuſdam Galliæ Notitijs quinque Viennenſes, quod eas ſemper fraterno quodam neceſſitudinis vinculo conſtrictas fuiſſe comprobat; adeò vt à Gallijs aliquando ſeparentur. Nam vt

omittam priſca Cæſaris tempora, in Lugdunenſi prouincia initium Galliarum ſtatuere videtur Marcellinus lib. xv. vbi de Rhodano & Arari verba faciens hæc ſubijcit: *Qui locus exordium eſt Galliarum: Exinde non millenis paſſibus, ſed leucis itinera metiuntur.* Cui optimè conuenit cum tabulis Peutingeri quæ ſic habent: *Lugduno caput Galliarum vſque hîc legas.* quod purum & putum Gallicum eſt. Et ne mireris has quinque prouincias à Gallijs diſtingui; ipſæ Aquitaniæ in itinerario Antonini, quo iter ab Aquitania in Gallias deſcribitur, ab his etiam dirimi videntur. Rufus: *Sunt in Gallia cum Aquitania & Britannijs prouinciæ octodecim.* S. Sulpicius lib. ij. *Sed id noſtris, id eſt, Aquitanis, Gallis, & Britannis indecens viſum eſt.* Nulla hîc certè (quod doctiſſimus Sigonius exiſtimauit) labis ſuſpicio. Auſonius in Arelat.

*populos alios & mœnia ditas:*
*Gallia quîs fruitur, gremioque Aquitania lato.*

Ἀκυϊτανοὺς, ſcripſit Strabo lib. iiij. τελέως ἐξηλλαγμένους οὐ τῇ γλώττῃ μόνον, ἀλλὰ τοῖς σώμασιν ἐμφερεῖς. Ἴβηρσι μᾶλλον ἢ Γαλάταις. eadem iterat eodem libro, & ijſdem ferè verbis.

Hiſpaniarum diœceſis in veteri indice & in Notitia, ſeptem prouincijs diſtinguitur; Conſulares ſunt, Luſitania, Bætica, Callæcia; Præſidales, Tarraconenſis, Carthaginenſis, Tingitana,

Baleares, Inſulæ; ſed Baleares non agnoſcit Rufus. Principio Hiſpania omnis in tres, & poſteà in quinque prouincias diuiſa fuerat: quò fit, vt quinque prouinciarum nomine comprehendi meo iudicio debeat in inſcriptione l. 3. de pagan. & ſacrif. quæ 15. eſt in C. Theod. *Macrobio PP. Hiſpaniarum, & Procliano Vicario quinque prouinciarum.* ad Præfectum prætorio Galliarum, eiuſque in Hiſpanijs Vicarium conſtitutio illa ſcripta eſt, vt fieri aliquando ſolebat. Sulpicius lib. ij. *Imperator datis ad Præfectum Galliarum, atque ad Vicarium Hiſpaniarum literis, omnes omnino quos labes illa inuoluerat, ad Synodum Burdegalenſem deduci iubet.* Non abnuo Præfectum prætorio Galliarum, Præfectum Hiſpaniarum, (vt Britanniarum apud Auſonium) dici poſſe: vereor tamen ne τὸ Hiſpaniarum, quod fortè ad quinque prouinciarum interpretationem margini aſcriptum fuerat, in textum irrepſerit. Quod aiunt quidam ſeneſcente Imperio Hiſpanias proprium Præfectum habuiſſe, nouum & inauditum, nulloque authore defendi poteſt; Vicarius quoque in Hiſpanijs & Gallijs qui prouincias tantùm quinque aut ſeptem adminiſtraret, nuſquam profectò reperietur. Rectè igitur hìc integram Hiſpaniarum diœceſim intelligo: nam licet iam auctus eo tempore prouinciarum eſſet numerus, non ex-

ciderat tamen antiquum quinque prouinciarum nomen; quod Galliarum exemplo præclarè confirmatur. Hanc quinque prouinciarum diuiſionem tribuit Conſtantino Appius quidam apud Ioannem Gerundenſem Epiſcopum lib. j. *Poſteà verò ad tempora Conſtantini pij diuiſa eſt ipſa Hiſpania in prouincias quinque apud Appium; Tarraconenſem, Carthaginenſem, Bæticam, Luſitaniam, & Gallatiam.* Totidem ſunt prouinciæ in Gothicis notitijs, quæ ex collectione Concil. Hiſpan. peti poſſunt. Vna tantùm adijcitur Gallia Narbonenſis, quam Gothi eo tempore vſurpabant. Et ſanè certos habet fines Hiſpania, quibus Tingitana & Baleares comprehendi nequeunt: vnde alter orbis dicitur à Pacato in panegyric. ad Theod. *Hiſpania hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æſtibus, inde Tyrrheni maris litoribus coronata naturæ ſolertis ingenio velut alter orbis includitur.* φυσικὴ iſta eſt Hiſpaniarum deſcriptio, à qua ciuilis diſceſſit; ſic viſum Imperatoribus. Nam quod ait Gerundenſis Epiſcopus additam Gothorum temporibus ſextam prouinciam Tingitanam, ineptum eſt: hoc principis ius; ceſſit ipſe Oceanus, qui

*Europam & Libyam rapido diſterminat æſtu.*

Supereſt Britanniarum diœceſis, quæ vt ex veteri indice & Notitia accepimus, in quinque prouincias diſtributa eſt: Maximam Cæſarienſem, & Va-

lentiam Conſulares; Britanniam primam, Britanniam ſecundam, & Flauiam Cæſarienſem Præſidales. De Valentia tacet Rufus: nondum enim, vt opinor, Britannicis prouincijs adiecta fuerat; hanc ſingulari Theodoſij ducis virtute recuperatam Valentis nomen accepiſſe ſcribit Ammianus. At certè retinenda eſt in Rufi breuiario Flauia Cæſarienſis, quæ in quibuſdam editionibus prætermittitur. Prouinciarum id flagitat numerus; & ſi quis coniecturæ locus,hoc mihi perſuaderi ſino,vix honorem iſtum Valenti priùs delatum, quàm Valentiniano,à quo Flauium prouincia illa nomen accepit,& cuius auſpicijs multa in Britannijs ſtrenuè,& fœliciter geſta fuerant.

Hæc nouiſſima totius Imperij diuiſio:nam augusta Flauij, Valentis, Arcadij, & Honorij nomina, quæ hîc inueniuntur,eam paulò ante Imperij ruentis tempora promulgatam apertè oſtendunt:quod alijs argumentis facilè comprobari poteſt; ſed liceat mihi in re perſpicua eſſe negligenti. Nunc ad alia tranſeamus.

*

*NVLLA PROVINCIA SINE metropoli. Hæc ſola vrbs. Ciuitas Juſtitiæ. Ciuitates maximæ, maiores, & minores. Omnes, ſi metropolim excipias, eodem penè iure vtuntur. Vici, pagi, & caſtella ciuitati, cuius eſt territorium, ſubijciuntur. Areopagitæ Curiales appellati. Vici ciuitates aliquando imitantur. Preſbyteri χωρεπίσκοποι, περιοδευταὶ in vicis & villis conſtituti. Si in vico Epiſcopus inſtitutus fuerit, eo defuncto Eccleſia in priſtinum ſtatum reuocatur. Metrocomiæ matres vicorum. Cephacaſtellum, pagus, caſtellum, burgus. Carcaſſo olim caſtellum. Caſtra inter ciuitates. Manſiones, & mutationes à ciuitatibus diſtinguntur. Regio vniuerſa ciuitatis eſt, fundi poſſeſſorum. Orbis agris diuiſus. Omnes orbis Romani partes.*

## CAP. VI.

NVLLA prouincia ſine metropoli; hæc aliarum ciuitatum mater, & caput l. 1. de metrop. Ber. l. 7. de offic. Proconſ. Gregorius Nazianzenus de vita ſua:

ἡ τομὴ τῆς πατρίδος,

Δύω πόλεις τάξασα μικρὸν μητέρας.

Achilles Tatius de Sydone: Μητὴρ Φοινίκων ἡ πόλις. Strabo lib. v. ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Καπύη μέν ἐστιν ἡ μητρόπολις, κεφαλὴ τῷ ὄντι κατὰ τὴν ἐτυμότητα τοῦ ὀνόματος. Auguſtinus lib. de conſenſ. Euang. iij. cap. xxv. *Agri nomine non caſtella tantùm, verùm etiam municipia & coloniæ ſolent vocari extra ciuitatem, quæ caput, & quaſi mater eſt cæterarum; vnde metropolis appellatur.* Quapropter rectè Dion Chryſoſtomus orat. xxxviij. metropoleos munus eſſe ait, alias, quibus præpoſita eſt, ciuitates officijs ſibi deuincire & obligare. Ita enim Nicomedienſes hortatur: προαιρεῖσθε τοίνυν προστεύειν τῶν πόλεων, τὸ μὲν πρῶτον ἐκ τῆς ἐπιμελείας τῆς περὶ αὐτάς, τοῦτο μὲν καθὸ μητρόπολίς ἐστιν, ἐξαίρετόν ἐστιν ἔργον ὑμέτερον. hæc ſola vrbs in prouincia l. 4. de damn. inf. Nam quod ait Vlpian. *Si tam vicinum vrbi municipium ſit, vt magiſtratu ſe non interponente potuerit Præſes vel Prætor adiri.* Romam ipſam, & prouinciæ metropolim, in quibus Prætor, & Præſes Iudices ſedebant, apertè demonſtrat. Et quidem apud Eſaiam cap. j. Sion metropolis, Iuſtitiæq; ciuitas vocatur: κληθήσῃ πόλις δικαιοσύνης μητρόπολις, πιστὴ Σιών. vnde Iſidorus Peluſiota, vt ἀκρόπολιν τῆς ἀνδρείας, ita & δικαιοσύνης μητρόπολιν dixit epiſt. clj. lib. ij. Ezechieli metropoles, πόλεις τῶν πόλεων ſunt cap. xvj. ἐπληθύνθης καὶ ἐμεγαλύνθης,

καὶ εἰσηλθες ἐς πόλεις τῶν πόλεων. quod Hieronymus ita vertit: *Non tantùm ciuitas, ſed ciuitatum mater appellaris.*

Non omnes igitur ciuitates vno ordine habentur: maximas, maiores, & minores ſtatuit Antoninus in epiſtola, cuius pars recitatur l. 6. de excuſat. tut. Omnes verò metropoles maximæ ciuitates exponuntur: nec aliud ſanè viſum arbitror Antonino. Sed liceat nobis, qui aliam Imperij formam à Conſtantino primùm inſtitutam inueſtigamus, metropoles diœceſeôn maximas appellare ciuitates: nam hæ ſunt verè, vt ipſa Antonini verba vſurpem, μητροπόλεις τῶν ἔθνων, capita diuerſarum prouinciarum in epiſtola Anacleti, quam (etſi de authore à quibuſdam dubitetur) antiquam eſſe nemo neſcit. Metropoles autem, quæ ſingulis prouincijs præponuntur, maiores erunt ciuitates: quam in rem memini me in quodam veteris Synodi canone hæc legiſſe: ὁ ἐν μείζονι τυγχάνων πόλει, τοῦτ' ἔστι, τῇ μητροπόλει. Minores reliquæ omnes, quæ ex metropolibus pendent; quanquam inficias ire nolim, & eas rurſùm celebritate & amplitudine diſpares eſſe, ac certo ordine inter ſe diſtingui, de quo Dion Chryſoſtomus orat. xxxviij. καὶ τὰς πόλεις οὖν πᾶσαι ἀνάγκη γενήσεται, τὴν τάξιν τῶν ἑαυτῶν ἀπολαβεῖν. Hinc, opinor, Dionyſius in lib. de rhet. vbi de nobilitate natalium agit, id inquirendum cenſet; non ſolùm an patria

metropolis ſit, ſed an ſecundum in prouincia locum obtineat: τίς ἡ πόλις, καὶ ἡ μητρόπολις αὐτῶν. ἐχομένη ἡ πόλις μητροπόλεως τῇ τιμῇ τῇ μεγάλῃ, πολυάνθρωπος, εὔφορος &c. quod etiam inter plures eiuſdem diœceſeos metropoles obſeruatum eſt l. 4. de offic. Proconſ. Verùm omnes ciuitates, vnam ſi excipias in qualibet prouincia metropolim, eodem penè iure vtuntur: nam priuilegia, quæ à Principe impetrari ſolent, nullius in hac diſputatione momenti cenſentur; omnibus ſanè curiæ ſunt attributæ: quod poſteà ſuo loco fuſiùs perſequemur. Coloniæ autem, municipia, præfecturæ, fora, conciliabula, ad politiæ, quam effingimus, cognitionem parùm facere videntur. Nam horum ferè omnium memoria, poſtquam ius ciuitatis vniuerſo orbi datum eſt, ſenſim conſenuit.

Porrò ciuitatibus territoria aſſignantur l. pupillus 229. de verb. ſignif. l. cætera. 41. §. ſed ſi quis. de leg. 1. l. 3. §. non perpetuæ. de ſepul. viol. l. 3. C. de incol. Sed regionem ciuitati aſcriptam αὐτάρκη eſſe voluit Ariſtoteles lib. vij. politic. cap. v. πλήθει καὶ μεγέθει τοσαύτην ὥστε δύνασθαι τοὺς οἰκοῦντας ζῆν σχολάζοντας, ἐλευθερίως ἅμα καὶ σωφρόνως. quò & reſpexit fortè Siculus Flaccus: *præmenſum quod vniuerſis ſuffecturum videbatur*. In territorio autem ſunt vici, pagi, caſtella; quæ ciuitati, cuius eſt territorium ſubijciuntur. Strabo lib. iiij. ὑπηκόους ἔχει (Nemauſus)

κώμας τέτταρας καὶ εἴκοσι τῶν ὁμοεθνῶν. Xiphilinus de Byſantio : αὐτήν τε, καὶ τὴν χώραν αὐτῆς Περινθίοις ἐχαρίσατο. καὶ αὐτῇ ἐκεῖνοι, οἷα κώμῃ χρώμενοι οὐδὲν ὅτι οὐχ ὕβριζον. Iſidorus lib.xv.cap.ij. *Vici, caſtella, & pagi hi ſunt, qui nulla dignitate ciuitatis ornantur, ſed vulgari hominum conuentu incoluntur, & propter ſui paruitatem maioribus ciuitatibus attribuuntur.* Quamobrem rectè vicus ciuitati legatur l. cùm pater.77.§.vlt.de leg.2.Scio in gloſſis, quæ Iſidori nomine editæ ſunt, pagum exponi collegium curiæ; quod vico minimè conuenit : ſed vereor ego, ne γλωσσόγραφος ille de Areopago Athenienſium curia cogitarit : nam refert Turnebus lib. xxviij. cap. v. Areopagitas in veteri quodam onomaſtico curiales appellari. Verùm aliquando vici ciuitates imitantur, legata capere poſſunt l. ſi hæres. 73. de leg.1. forum habent Paulus lib. iiij. cap. vj. recept. ſent. magiſtros literarum l.2. de vacat.mun. Eccleſias & Clericos l. in Eccleſijs de Epiſc. & Cler. reguntur tamen ab Epiſcopis, quibus reſpondent. In illis Presbyteri χωρεπίσκοποι, aut περιοδευταὶ inſtitui debent can.10. Concil.Antioch. can.6.Concil. Sardic. can. 57. Concil. Laodic. cuius hæc ſunt: ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι Ἐπισκόπους, ἢ περιοδευτάς : ſcribendum, ἀλλὰ περιοδευτάς, vt viri doctiſſimi, qui egregiam Gratiano operam nauarunt, ex manuſcriptis codicibus retulerunt, &

Latinæ omnes interpretationes confirmant cum Balſamone; tametſi Epiſcopos ante hoc decretum in vicis aliquando conſtitutos apparet ex eadem Synodo, quæ iubet eos μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου τοῦ ἐν τῇ πόλει. Non aſſentior Balſamoni, qui hîc Metropolitanum intelligit: nam quod de Presbyteris eo in canone adjicitur, magis Epiſcopo conuenit; idemque de Chorepiſcopo cauetur cap. x. Concil. Antioch. quod iure optimo factum arbitror, ne ſecari & diuidi prorſus videatur parœcia, faciliuſque & procliuiùs ad priſtinam formam redeat. Æquum eſt enim vicanam Eccleſiam, ſi fortè Epiſcopum conſequuta fuerit, eo ſaltem defuncto, in priſtinum ſtatum reuocari; quod de Palæbiſca & Ydrace vicis Pentapoleos, à Theophilo Patriarcha Alexandrino ſtatutum ſcribit Syneſius epiſt. lxvij. Παλαίβισκα δὲ καὶ Ὕδραξ, εἰς τὴν ἀρχαίαν τάξιν ἐτάχθησαν καὶ πρὸς τὸ Ἐρυθρὸν (τόπον vocat Ptolemæus) ἀνελήφθησαν, δόγματι, φασὶ, τῆς σεβασμίας σοῦ κεφαλῆς. At certè reſcinditur in cap. iiij. Concil. Tolet. xij. Epiſcopi inſtitutio, quæ Vnambæ Regis authoritate facta in villa fuerat. Satis ergo compertum eſt, non ſolùm in Repub. ſed in Eccleſia, vicos ſubijci ciuitatibus, quarum territorio continentur. Sunt tamen aliquando metrocomiæ l. ſi diuina. de exact. trib. l. 1. non licer. habit. metroc. l. vlt. C. Theod. de patroc. vicor. quæ vicorum matres ſunt, vt metro-

poles ciuitatum. Vnde forſan Cephacaſtellū act.iij. Concil. Chalced. in hac ſubſcriptione: *Noë Epiſcopus Cephacaſtelli ſubſcripſi.* Et nos in Gallia Narbonēſi metrocomias nunc *Capcaſtels* appellamus.

Pagos etiam & caſtella in ciuitatum territorijs iam conſtituimus: atqui pagus nonnunquam regionem ſeu prouinciam ſignificat, vt ex Cæſare, Tacito, & alijs non illius tantùm, ſed infimi etiam ſeculi authoribus notum eſt. Sic loquutus Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus ad Modoïnum:

*Nempe Toloſani locus eſt ruriſque Caturci*
*Extimus, hoc finit pagus vterque loco.*

In hac tamen diſquiſitione parum à vico pagus differt l. exactores. C. quæ res pign. oblig. poſſ. vterque enim κώμη vertitur in antiquis gloſſarijs & onomaſticis: nec alio ſenſu pagus à Plinio ſumitur lib. xxxvij. cap. x. *Cepionides in Æolidis Atarne nunc pago olim oppido naſcuntur.* quin & villam ſignificat in l. Caius de annu. legat. & apud Seruium lib.ij. Georg. Caſtella verò, ſeu burgi in limitibus extrui ſolebant l. 2. §. in Sardinia. §. & homines. §. intereà. de off. Præf. prȩt. Afr. φρούρια à Procopio exponuntur lib.ij. de ædific. Iuſtiniani: καστέλλους γὰρ τὰ φρούρια τῇ Λατίνων καλοῦσι φωνῇ. & lib. iiij. ἐνταῦθα φρούριον ὁ βασιλεὺς ὄνομα Βουργοσνόους δεδημιούργηκεν. fortè βοῦργος νέος, vt Βουργόσαλτος lib.iiij. muris certè & propugnaculis firmantur caſtella & burgi, verùm in

numerum ciuitatum non veniunt. Iuſtinianus Nouell. xxviij. Πιτυοῦντα καὶ Σεβαστόπολιν ἐν φρουρίοις μᾶλλον ἀριθμητέον, ἢ πόλεσιν. Et quidem Carcaſſo nobilis hodie prouinciæ Narbonenſis ciuitas, in veteri Itinerario Ieroſolymitano caſtellum eſt; ideoque nullus illi inter ciuitates locus in Notitia Galliarum. Quare caſtella rectè κωμητικὰ τείχη vocantur à Syneſio in orat. de Pentapoli, & à ciuitatibus diſtinguntur: νῦν τὰ κωμητικὰ τείχη καθελόντες, πλατεῖ στρατοπέδῳ ματι τὰς πόλεις περιστοιχίζονται. imò κώμην ferè ſemper caſtellum reddidit noui Teſtamenti interpres, vt cap. ix. & xxj. Matth. xj. Marc. vlt. Luc. & xj. Ioann. Auguſtinus lib. iij. de conſenſ. Euang. *Caſtellum non abſurdè accipimus etiam villam potuiſſe appellari.* Ergo caſtella ciuitates non ſunt, ſed nec ipſa oppida. Vetus gloſarium: κωμόπολις, oppidum, conciliabulum. Caſtra tamen in Notitia prouinciarum Galliæ cum ciuitatibus numerantur, vt in prouincia Narbonenſi, *Ciuitas Lutuenſium, id eſt, Lutana caſtrum*, de cuius Epiſcopo fit mentio in epiſt. iij. Bonifac. qui, Honorio & Theodoſio imperantibus, Catholicam Eccleſiam rexit.

Manſiones etiam & mutationes ciuitates dici non poſſunt l. 2. de cond. in publ. horr. l. modios. de ſuſceptorib. & arcar. l. 2. de lucr. aduoc. l. 9. C. Theod. de ann. & trib. De curialibus tamen Claudiopolis, Pruſiadis, & Tottaï, & Voridis oppidorum,

rum, ſeu manſionum per Bithyniam agitur in l. 119. C. Theod. de decur. ſanè Tottaïo Bithyniæ manſio eſt in Itinerario Ieroſolymitano; ſed manſiones illas ciuitatis iure donatas liquet ex ipſa conſtitutione: & quidem act. iij. Conc. Chalced. Helpidius manſionis Termenſis Epiſcopus memoratur.

Denique vt vici & pagi ciuitatibus ſubijciuntur, ita agri & fundi, qui poſſeſſorum arbitrio conſtitui ſolent l. locus. de verb. ſignif. vicis & pagis aſcribendi ſunt l. 4. de cenſib. l. Caius. de annu. leg. ſanè vrbis Romæ territorium ἐς τοὺς καλουμένους πάγους Numa diuiſerat, vt author eſt Dionyſius lib. ij. Omnis tamen regio ciuitati tribuitur, cui vici reſpondent; ſed fundi poſſeſſorum ſunt, inter quos diuiduntur. Dion Chryſoſt. orat. xxxj. ἡ χώρα τῆς πόλεως, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον τῶν κεκτημένων ἕκαστος κύριός ἐστι τῶν ἑαυτοῦ. & mox: πολλά ἐστι εὑρεῖν, ἃ κοινῇ μὲν ἀπεγράψατο ἡ πόλις, διήρηται δὲ εἰς τοὺς μετὰ μέρος, ὅλως δὲ οὐκ. Non prætermittam quod ſcribit Caſſiodorus lib. iij. epiſt. lij. orbem agris olim diuiſum fuiſſe: *Auguſti* (inquit) *temporibus orbis Romanus agris diuiſus, cenſuque deſcriptus eſt, vt poſſeſſio ſua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ſuſceperat quantitate ſoluenda.* Æthicus magnum hoc opus intra annos duos & triginta à Iulio Cæſare incœptum, & ab Auguſto perfectum, ac de orbis continentia ad Senatum perlatum teſtatur: quam diuiſionem intel-

K

ligit Ariſtides in orat. de Roma: καταμετρήσαντες μὲν πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ζεύξαντες δὲ παντοδαπαῖς γεφύραις ποταμοὺς, &c. Sed omnes orbis Romani partes, quas hoc cap. indicauimus, complectitur Auguſtinus epiſt. l. *Quot liberantur* (ait) *per iſtas leges ab illa peſtifera æternaque pernicie fundi, pagi, vici, caſtella, municipia, ciuitates.* ſic ferè in l. 3. C. Theod. de conlat. donat. *Ciuitates, municipia, vicos, caſtellos, &c.*

ΤΩ͂Ν ΠΟ΄ΛΕΩΝ ΣΥ΄ΝΟΨΙΣ.

*Domicilium Imperij Roma. In ea Vrbe ſumma iudicia exercebantur. Princeps* δικαστὴς μέγας. *Appellationum cognitionem Auguſtus vſurpauit. A Senatu tandem non potuit Princeps appellari. Princeps pars Senatus. Conſultationes. Splendidior Senatorum ornatus. Silentium & conuentus. Pedibus, & porrecta manu ibatur in ſententiam. Vbi Princeps, ibi Roma. Senatus maieſtas. Ab eo Imperium confirmari, bellum indici, & legati ad populos exteros mitti ſolebant. Senatus Proconſules creauit. Proconſules auguſti. Senatusconſulta legis authoritatem habuerunt. A Principe confirmata. Conſulum dignitas. Imperatori Conſulatus erat ornamento.*

## CAP. VII.

SIc explicata orbis Romani deſcriptione, iuuat pauca ſingulis eius partibus attexere, quibus rudis quædam adminiſtratæ olim Reipub. ratio informetur, & illuſtre operi noſtro faſtigium accedat. Veterem Romam Occidentis, nouam Orientis metropolim oſtendimus; τὰς πόλεων ξυνωρίδα dixit elegantiſſimè Syneſius: pro quarum & vtriuſque Imperij dignitate, & gemini Imperatoris incolumitate votum concipit in orat. de fratr. amicit. ὦ βασιλεῦ ζεῦ, ὦ πάτερ ἀνθρώπων, ὦ πολιοῦχε, καὶ τῆς ἑώας Ῥώμης, καὶ τῆς Ἑσπερίας, φυλάττοις μὲν τὴν πόλεων τὴν ξυνωρίδα. φυλάττοις δὲ τὴν βασιλέων, οἳ τὸ σὸν βούλημα διασώζουσιν. Itaque quod de Roma à me deinceps dicetur, de Conſtantinopoli quoque dictum velim. Hîc ſedem & domicilium Imperatoris conſtituo; hæc mater Imperij: φθάσωμεν οὖν, inquit Seuerus lib. ij. apud Herodianum, τὴν Ῥώμην προκαταλαβόντες, ἔνθα ἡ βασίλειος ἐστὶν ἑστία. Mamertinus de Roma in panegyrico ad Maximinum: *Vos cùm totius orbis ſecuritate compoſita, illa Imperij veſtri mater acceperit, amplexus eius arctiſſimos interdum pijs manibus reſoluatis.* Claudianus in panegyrico iij. Stilicho.

*Quæ ſeptem ſcopulis zonas imitatur Olympi,*

*Armorum, legũque parens; quæ fundit in omnes*
*Imperium.*

Quamobrem Romanis ita blanditur Ariſtides in orat. de laudib. æternæ vrbis: ὥσπερ οἱ τὴν κατὰ μίαν πόλεσιν, οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὥσπερ ἐν μιᾷ πόλει πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ πολιτευόμενοι, τοὺς ἄρχοντας καθίστατε ἐπ' αὐτοῖς. quod proculdubiò Principi magis conuenit, in quem populus omnem tranſtulerat poteſtatem. Verùm Maximus (vt ab Herodiano proditum eſt) populi etiam Imperium agnoſcebat, & Imperij fortunam ea in vrbe ſitam profitebatur his verbis: οὐ γὰρ ἑνὸς ἀνδρὸς ἴδιον κτῆμα ἡ ἀρχὴ, ἀλλὰ κοινὸν τοῦ Ρωμαίων δήμου ἄνωθεν, καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει ἡ τῆς βασιλείας ἵδρυται τύχη. ἡμεῖς δὲ διοικεῖν καὶ διέπειν τὰ τῆς ἀρχῆς σὺν ὑμῖν ἐγκεχειρίσμεθα. In hac vrbe ſumma omnium rerum & controuerſiarum iudicia exercebantur. Ariſtides: οὔκουν ἐκεῖ ἔξεστι μετὰ τὴν ἐν τῇ πόλει ψῆφον ἐνεχθεῖσαν, ἐλθεῖν ἄλλοσε, οὐδ' ἐπ' ἄλλους δικαστὰς, ἀλλὰ στέργειν ἀνάγκη τοῖς ἐγνωσμένοις, εἰ μή τις ἐστὶ μικρὰ πόλις, ὥστε προσδεῖσθαι δικαστῶν ὑπερορίων παρὰ τὴν ἀξίαν, φεύγοντα, ἢ καὶ διώκοντα μὴ κρατήσαντα, μὴ δὲ τῷ νενικηκότι, ἀλλὰ μένει δικαστὴς ἕτερος μέγας, ὃν οὔποτε οὐδὲν ἐκφεύγει τῶν δικαίων. Appellationum cauſas intelligit Ariſtides, quarum iudicia quoque δίκαι ſunt Heſichio, ἐπὶ ξένης λεγόμεναι. ab vrbanis tamen magiſtratibus prouocatum fuiſſe nemo ignorat.

Nam & Auguſtus in ipſo Imperij ortu appellationum cognitionem vſurpauerat, in qua du-

bium non eſt, quin conſilijs paruerit, quæ, vt à Dione accepimus, pulcherrima dabat Mœcenas. Nec repugnat quod ait Suetonius, *eum appellationes quotannis vrbanorum litigatorum Prætori delegaſſe vrbano (aut potius Præfecto vrbis) at prouincialium Conſularibus viris, quos ſingulos cuiuſque prouinciæ negotijs præpoſuiſſet.* quoniam non iure magiſtratus, ſed ex delegatione Principis, eiuſque vice hæ cauſæ diſceptabantur; verùm ad Senatum poſteà, vt ex Tacito, Tranquillo, Vopiſco, & alijs Romanæ hiſtoriæ auctoribus notum eſt; demùm etiam ad maiores Iudices appellationes deductæ ſunt: ſed ita certè, vt ad Principem rurſus prouocare liceret. Vetus hoc Mœcenatis præceptum: Μήτε αὐτόδικος, μήτ' αὐτοτελὴς ἔστω τὶς τὸ παράπαν ἔστω, ὥστε μὴ οὐκ ἐφέσιμον ἀπ' αὐτοῦ δίκην γίγνεσθαι. Quãobrem rectè Imperatorem Ariſtides magnum vocat Iudicem, quo nullum optimi Principis nomen præſtantius. Themiſtius in orat. ad Valent. ἔστω γοῦν τῆς βασιλέως ἐπωνυμίαν ἀπαξιοῖ, τὴν τοῦ δικαστοῦ ἀγαπᾷ. ὡς ἐκεῖνο δυνάμεως προστρίμμα, τὸ δὲ, σοφίας. A Conſulibus igitur, vt innuit Capitolinus in Marco Antonino, à Præfecto etiam vrbis, à Proconſulibus, Vicarijs, Præfecto annonæ, & Præſidibus, ab ipſo quoque Senatu Principem ſæpè prouocatum, atque ita datos ab eo Iudices, vt appellatio interponi non poſſet, ſatis notum eſt l. 1. l. à Proconſu-

libus. C.de app. l.28. & 30. C.Theod. eo tit. l.vlt. D.quod cum eo. l.1. à quib.appell.non lic. Appellationes tamen ad Principem rectò fieri non poterant l. Imperatores. D. de appell. ſed variatum in hoc ſæpè arbitrio eorum qui clauum Imperij tenebant; adeò vt ſi verum audimus, nihil fuerit in rebus Romanis incertius. Verùm à Senatu appellare vetuit tandem Hadrianus l. 1. à quib. appell. non lic. ne prouocatio ab ipſo videretur Principe conceſſa, qui Senatorum numero aſcribitur l. ius Senatorum. de dignitat. Præclarè Alexander ad Senatum, vt author eſt Lampridius: *Et vos ipſi magnifici, vnum me de vobis eſſe cenſete, potiùs quàm magni nomen ingerite.* Et Senatores pars corporis vocantur ab Arcadio & Honorio in l. quiſquis. ad l. Iul. maieſt. quod luculentè expreſſit Corippus lib.ij.vbi hæc Iuſtino tribuit:

*------ vos ô mihi proxima membra,*
*Conſcripti Patres, noſtri ſpes maxima regni;*
*Vos eſtis pectus, vos brachia verticis huius.*

Manſit nihilominùs illibata Imperatoris authoritas: nam appellationum iudicia, quæ conſultationes dicebantur, præſente in Senatu Principe peragi, aut ab eo confirmari ſolebant Nouell. lxij. imò vt ſententiæ à Principis profectæ oraculo viderentur, Senatores quamuis Princeps abeſſet, ſplendidiori veſte & campagis vtebantur; quod in eius con-

ſpectu tantummodò fieri conſueuerat Nouell. cxxvj. illuſtriorem hunc Senatorum ornatum attingit Themiſt. in gratiarum actione ad Valentem: ὑμεῖς ὥσπερ ἐν πανηγύρεσι μεταμφιεσάμενοι τὰς τηβέννας, καὶ τὰ ὑποδήματα ἀλλαξάμενοι συγκαθεζόμενοι ἐπὶ τοῦ δίφρου. Senatus autem à Principe ad hæc iudicia, aliaque negotia vocabatur indicto conuentu, vel ſilentio cui conuentus ineſt, vt ait Iulianus Nouell. lvj. Et fortè ad ſilentium illud reſpexit Caſſiodor.epiſt. 1. lib. xj. ad Senat. *Silentiosè geritur publicum bonum.* Nec tamen ſemper ſuffragia omnium conquiri ſolebant, ſed manu porrecta, aut pedibus ibatur plerumque in ſententiam. Vtriuſque moris exemplum peti poteſt ex Concil. Chalced. act. j. *Exurgens reuerendiſſimus Epiſcopus Iuuenalis ſimul cum ipſis* (Palæſtinis Epiſcopis) *tranſijt in alteram partem, & clamauerunt Orientales: Deus benè adduxit te orthodoxe, benè veniſti.* Rurſum de Petro Corinthiorum Epiſcopo: *Exurgens ipſe tranſijt in alteram partem.* & poſteà eadem act. j. ex ſecunda Epheſina Synodo: *Dioſcorus Epiſcopus Alexandriæ dixit: Quoniam voces veſtras neceſſarias habeo & manus, ſi quis non poteſt clamare manum extendat.*

Sit ergo ſedes Imperij, ſint ſumma rerum & controuerſiarum omnium iudicia in vtraque orbis metropoli. Non tamen reſpuo quod à Pompeiano

dictum prodidit Herodianus lib. j. ἐκεῖτε ἡ Ῥώμη ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. cui non admodum diſſimile illud Syneſij epiſt. cij. ἀφίξεται δὲ περὶ τὴν ἔχουσαν τὴν βασιλέα πόλιν. ὡς ὅπου βασιλεὺς, ἐκεῖ, καὶ πάνυ τῆς τύχης οὔσης. Sed tum vagatur, & à propria ſede aberrat Imperium, vt eleganter Roma apud Claudianum, vbi Honorium Rauennæ diutiùs hærentem ſic affatur:

*Quem precor ad finem laribus ſeiuncta poteſtas*
*Exulat? Imperiumque ſuis à ſedibus errat?*

Verùm in ipſo etiam Senatu Romano, qui melior generis humani pars dicitur à Symmacho, nonnihil reſidebat maieſtatis, quod auelli, etiam ſi Princeps abſcederet, nullo modo poterat. Diſertè Mamertinus in panegyrico ad Diocletianum & Maximianum: *Ipſa etiam gentium domina Roma immodico veſtræ propinquitatis elata gaudio, voſque è ſpeculis ſuorum montium proſpicere conata, quò ſe vultibus veſtris propiùs expleret ad intuendum comminùs, quantum potuit, acceſſit; lumina ſiquidem Senatus ſui miſit beatiſſimæ illi per eos dies Mediolanenſium ciuitati, ſimilitudinem maieſtatis ſuæ libenter impertiens, vt ibi ſedes Imperij eſſe videretur, quò vterque venerat Imperator.* Et nimirùm publicum fuit illud orbis Romani concilium, in quo vigente etiam Imperio actum ſæpè de ſumma Reipub. Vnde Probus, Vopiſco authore, in epiſtola ad Senatum: *Vos eſtis mundi*

*Prin*

*Principes, & ſemper fuiſtis, & in veſtris poſteris eritis.* Equidem in ſanctiſſimis Eccleſiæ conuentibus, cùm vota pro Imperij incolumitate fierent, Senatui acclamatum lego, vt in Synod. Chalced. act. j. *Multos annos Imperatori, multos annos Auguſtæ, multos annos Senatui.* & in vj. Conſtantinop. act. xvj. *Orthodoxo Senatui multos annos.* Imperium dabat, exercitus confirmabat Senatus. Spartianus in Hadriano: *Cùm ad Senatum ſcriberet, veniam petijt quòd de Imperio ſuo iudicium Senatui non dediſſet, ſalutatus ſcilicet præproperè à militibus Imperator.* Tacitus apud Vopiſcum in Probo: *Me quidem Senatus Principem fecit de prudenti exercitus voluntate.* Opilius Macrinus in ea oratione, cuius capita quædam aſcripſit Capitolinus: *Detulerunt ad me Imperium, cuius ego P. C. interim tutelam recepi, tenebo regimen, ſi & vobis placuerit quod militibus placuit.* & mox: *Diadumenum filium meum vobis notum, & Imperio miles donauit, quod vos P. C. bono fauſtoque omine approbetis petimus.* Maiorianus in Nouell. de ort. Imp. *Imperatorem me factum P. C. veſtræ electionis arbitrio & fortiſſimi exercitus ordinatione agnoſcite.* Plura huius rei teſtimonia in veterum ſcriptis facile eſt deprehendere.

Sed & ab ampliſſimo ordine bellum indici ſolebat priſco more, quem bonos Principes, ſe-

neſcente iam Imperio, ( cuius à me formam deſcribi non ſemel teſtatus ſum ) renouare non puduit. Ad Honorium pertinet quod de Stilichone in primo eius panegyrico cecinit Claudianus:

*-------- Cenſebat bella Senatus.*
*Neglectum Stilicho iam tot per ſecula morem*
*Rettulit, vt ducibus mandarent prælia Patres,*
*Decretoque togæ fœlix legionibus iret*
*Teſſera.* & in iij.
*Roma iubet ſignis, bellaturoque togatus*
*Imperat, & ſpectant Aquilæ decreta Senatus.*

Legatos etiam ad exteros Principes eodem tempore pacis conciliandæ ergo Senatus decreto miſſos docet Priſcus in Ecclog. Gothic. hiſtor. de legatione ad Hunnos: ἐδόκει τῇ τῶν Ρωμαίων βουλῇ Πλίνθαν πρεσβεύεσθαι παρ' αὐτούς. Quin & Senatorio ordini præcipua rei bellicæ cura commiſſa ſemper fuit; nec fruſtrà ab Onoſandro ſcriptum, στρατηγικὴν θεωρίαν πρέπειν Ρωμαίοις, καὶ μάλιστα Ρωμαίων τοῖς συγκλητικὴν ἀξιοκρατίαν λελογχόσιν. Denique à Senatu olim prouinciæ regebantur l. 2. §. nouiſſimè. de orig. iur. Sed obſeruatum poſteà ex Auguſti inſtituto, vt Proconſules à Senatu in certas tantùm prouincias mitterentur. Alexander Imperator in epiſtola ad Senatum, cuius partem edidit Capitolinus in Gordianis: *Neque gratius mihi quidquam P. C. neque dulcius potuiſtis efficere, quàm vt Antoninum*

*Gordianum Proc onſulem ad Africam mitteretis.* Vnde Proconſul à Cæſaris legato diſtinguitur l. 7. de manum.vind.vt & legatus Proconſulis:ideoque Seuerus, cùm legationem Proconſulis Africæ obiret, ſe populi Romani non Cæſaris (vt refert Spartianus) legatum dixit: neque enim Proconſul tantùm, ſed & ipſe legatus,licet mandatam à Proconſule iuriſdictionem exerceret l.4. de offic.Proconſ. l.1.de off.eius cui mand.eſt iuriſd.Senatusconſulto fiebat, ſicut ex Appiano, Dione, & Capitolino comprobatur. Quamobrem Proconſul in l. hos accuſare. de accuſat. inter magiſtratus populi Romani intelligi poteſt.Proconſulares tamen prouincias ſæpiùs in Præſidales mutatas conſtat;quoniam grauius erat Proconſulis Imperium, vt ex Tacito notum in j. annal. aut quia Præſidales ſolo Principis nutu deferebantur,cùm Senatus iudicio decernerentur Proconſulares. Quod autem de Probo ſcribit Vopiſcus: *Permiſit Patribus vt Proconſules crearent, legatos Proconſulibus darent*, ſatis innuit imminutam anteà eximiam illam Senatus authoritatem, quam ſumma Imperatorum potentia demùm oppreſſit: nec ſum neſcius quoſdam olim Auguſti Proconſules appellatos. ſupereſt inter antiquitatis monumenta hęc inſcriptio: APOLLINI. GRANNO. Q. LVCIVS. SABINIANVS PROCOS. AVG. Non adijciam *Pag. 37. in edit. Grut.*

inſcriptiones, quæ à Laſio proferuntur; quoniam ad Procuratores Auguſti referri poſſunt. Sanè Iuſtinianus codicillos dedit Cappadociæ Proconſuli, quem Iuſtinianeum appellauit Nouell. xxx. alios etiam primæ Armeniæ & Palæſtinæ Proconſules præpoſuit Nouell.xxxj. & ciij. ſed nullæ tunc prouinciæ à Senatu decernebantur.

Redeo ad Senatum, cuius decreta legis authoritatem habuiſſe nemo neſcit l. 9. de legib. l. 1. de Senatuſc. nam cùm difficilè in vnum populus conuenire poſſet, viſum eſt Senatum populi loco conſuli §.conſtat.de iur.natur. l.2.§.deinde.de orig.iur. vetus mos hic, vt nihil ad populum Senatu inconconſulto deferretur. Appianus lib. j. de bell. ciu. εἰσηγοιῦτό τε μηδὲν ἔτι ἀπροβούλευτον ἐς τὸν δῆμον ἐσφέρεσθαι. νενομισμένον μὲν οὕτω καὶ πάλαι, παραλελυμένον δὴ ἐκ πολλοῦ. Sic Senatus perſcribi cõſenſus cœpit ad Principem, vt ille loco populi conſtitutionis author eſſet. Tacitus annal.xiij.& xiiij.eoq; res tandem redijt, vt non aliter Senatuſconſulta fierent l. humanum. C. de legib. Nouell. Iuſtiniani lxij.& Iuliani lvj. Decretam à Senatu ad Hunnos legationem diximus; addit ſtatim Priſcus: κυρωθείσης ἐπ' αὐτῇ παρὰ βασιλέως ψήφου. & quamuis ſit ſolius Principis legem condere l.vlt. C. de leg. ſolebat tamen ille habita aut ſcripta oratione Senatum conſulere,& ex eius ſententia leges promulgare l.leges. C.de legib. Symmachus lib. x.

epiſt. xxj. *Hæc æternitas veſtra venerabilis, cùm Senatui ſtatuenda mandaret, referri ad ſe protinùs imperauit, vt placita cunctis immortali lege ſolidentur. Juſſis paruimùs, expectamus oraculum, quo ſalutariter, vt veſtro numini familiare eſt, Patrum decreta firmetis.* Sed illuſtrius, quod à Probo conſtitutum author eſt Vopiſcus, vt leges quas ederet, Senatuſconſultis conſecrarentur: quantùm illi diſſimilis Leo, qui Senatus authoritatem funditùs euertit Nouell. lxxviij.

Poſtremò tantæ vrbis maieſtatem tuebatur præcellens Conſulum dignitas, quorum partes erant, ſi de Imperio ambigeretur, Reipub. proſpicere. Herodianus lib. ij. οἱ τὰ τῆς Ρώμης διοικεῖν εἰώθασιν ὁπηνίκα ἂν τὰ τῆς βασιλείας μετέωρα ᾖ. Ego iam olim ſummam Conſulatus poteſtatem conſilio Mœcenatis ab Auguſto imminutam non ignoro; ſic enim ille de magiſtratibus omnibus: τὴν μὲν τιμὴν φύλαξον, τὴν δ' ἰσχύος παράλυσον τοσοῦτον, ὅσον μήτε τοῦ ἀξιώματός τι αὐτῆς ἀφαιρήσῃ, καὶ τοῖς νεωτερίσαι τι ἐθελήσουσι μὴ ἐπιτρέψῃ. Sanè Iuſtinianus Nouell. cv. perpetuum affirmat à Principe geri Conſulatum: alij ergo (vti de Probo dixit Auſonius) Conſules in ſecundis erant faſcibus; ab his tamen accipiebat nomen annus: qua potiſſimùm ratione trabeam ſæpè cum purpura Imperatores coniunxerunt. Themiſtius in orat. Conſulari: τὸ μὲν τοίνυν ἥδυσμα

τοῦ λόγου καὶ ἡ πανήγυρις μακαρίαν ἀποφῆναι τὴν ἐπωνυμίαν. τοῦ ἔτους. fœlicem vocat annum, cui Iouianus & eius filius Varronianus nomen dederant; quod interpres non expreſſit. Cæterùm Conſulatus (tantus huius dignitatis ſplendor) ipſam Imperij maieſtatem auxit & ornauit. Sidonius in panegyrico ad Maiorianum:

*decora omnia regni*
*Accumulant faſces, & Princeps Conſule creſcit.*

Quod ipſe Theodoſius non inficiatur in Nouell. de honorat. Themiſtius in illa oratione, Conſulatum Iouiano ait Imperij præmium eſſe, filio initium: ποιεῖ τε αὐτὴν βασιλείας ὁ μὲν ἆθλον, ὁ δὲ, προοίμιον & pari elegantia, qua Syneſius vtramque Romam, duos ille Conſules διδαίμονα ξυνωρίδα appellauit.

*IN DIOECESEON METROPOlibus ius reddebant Præfecti prætorio. Plures ab his diœceſes regebantur. Nullus poſt Principem Præfecto maior. Is prouincialis magiſtratus non erat. Athanaſij locus exponitur. Fuit in quauis diœceſi Præfecti prætorio tribunal. Proprias tamen Præfecti omnes ſedes habuerunt. Summa eorum in alios Judices po-*

*teſtas. Hos penes omnis ciuilis, & militaris annonæ cura. Mandata dabant magiſtratibus. Soli merum Imperium plenè exercebant. Præfectus vrbi vice quoque ſacra iudicauit, & ille ſecundus etiam à Principe. Præfectorum primum tribunal. Vicariorum ſecunda iudicia. Hi Præfectorum partes ſuſtinebant, & ſacrarum cognitionum Iudices fuerunt. Gregorius Nazianzenus illuſtratur. Orientem adminiſtrabat Comes: Ægyptum Præfectus Auguſtalis; qui Proconſulibus & Vicarijs pares. Duo in Oriente Proconſules. Iidem Conſules appellati. Aſiæ Proconſul Præfecto prætorij non parebat. Vnus in Occidente Proconſul. Vera Notitiæ lectio aſſeritur. Proconſules vice quoque ſacra iudicabant. Aſia Proconſularis ab Eunapio deſcripta. Præfecti illuſtres. Vicarij, & alij qui eodem munere fungebantur, ſpectabiles. Vltimus clariſſimorum ordo. De appellationibus ad vtrumque Præfectum, ad Vicarios, & alios ſpectabiles. A Præfectis gentium Proconſul Africæ appellatus. A ſpectabilibus prouocatum ad ſummas poteſtates. Ab illuſtribus ad Principem. A Præfecto prætorio appellari non poterat.*

## CAP. VIII.

IN metropolibus diœceſeon ius reddebant Præfecti prætorio; nulla poſt Principem maior poteſtas: *Secundas*, vt ait Caſſiodorus, *in Imperio partes tenebat.* Socrates lib. ij. hiſtor. Eccleſ. Κωνστάντιος ἀποστέλλει τῷ ἐπάρχῳ Φιλίππῳ, ὡς μείζονα τῶν ἄλλων ἀρχόντων τὴν ἐξουσίαν κεκληρωμένῳ. δευτέρῳ δὲ μετὰ βασιλέα χρηματίζοντι. Auſonius epiſt. iij. de Probo:

*Qui ſolus, exceptis tribus*
*Heris, herorum primus eſt,*
*Prætorioque maximus.*

Plures verò diœceſes Præfecti adminiſtrabant; ſed plerumque in comitatu verſabantur l. præcipimus. C. de appellat. ita vt nulla inter magiſtratus prouinciales de his fiat mentio l. 1. vt omn. Iudic. Inſignis ea de re locus ἐν τῇ διαμαρτυρείᾳ populi Alexandrini apud Athanaſium: ὁρκίζομεν τοὺς ναυκλήρους πάντας, κηρύξαι, ταῦτα πανταχοῦ, καὶ εἰς ἀκοὰς τοῦ εὐσεβεστάτου Αὐγούστου ἀνενεγκεῖν, δὲ εἰς τοὺς ἐπάρχους, καὶ εἰς τοὺς κατὰ τόπον δικαστάς. Præfecti hîc diſtinguntur à Vicarijs, Præſidibus, & alijs Iudicibus, qui certas in prouincijs ſedes habuerunt: nam infimos locorum Iudices, qui à magiſtratibus mittuntur (de quibus alio loco agemus) intelligere ridiculum eſt. Fuit autem in quauis

orbis

orbis Romani diœceſi Præfecti prætorio tribunal. Iuſtin. Nouell. cxxviij. ἐν δικαστηρίῳ τῆς ἑκάστης διοικήσεως ἐνδοξοτάτων ἡμῶν ὑπάρχων φανερῶς. Proprias tamen Præfectorum ſedes fuiſſe non inficior; Orientis nimirùm, vt alio loco ſcripſi, in vrbe regia; Illyrici Theſſalonicæ; Italiæ Mediolano; Galliarum Treueris. Et Iuſtinianus, cùm nouum Africæ Præfectum dediſſet, eius ſedem voluit eſſe Carthaginem l. 1. de offic. Præfect. præt. Afr. Hinc ſummum tanti magiſtratus Imperium per omnes diœceſes, & prouincias eius fidei commiſſas diffuſum l. ne quis. l. quilibet. C. de Decurion. Priſcillianiſtæ maximas in diœceſi Hiſpaniarum turbas fecerant; Præfectus Galliarum authores ad ſe ex Hiſpanijs in Gallias deduci iuſſit, donec poſteà Imperiali authoritate, Præfecto, vt ſcribit Sulpicius lib. ij. erepta cognitio, & Hiſpaniarum Vicario data eſt. Hunc penes ciuilis & militaris annonæ cura. Caſſiodorus in præfat. var. de præfectoria ſede: *Ab hac exercituales flagitantur expenſæ; ab hac victus quæritur ſine temporis conſideratione populorum.* Zoſimus lib. ij. τῶν σιτήσεων ἐποιεῖτο τὰς ἐπιδόσεις. quibus adde audacem & inſolentem illam Domitij Præfecti vocem ad Gallum Cæſarem apud Ammianum lib. xiij. *Proficiſcere, vt præceptum eſt, Cæſar, ſciens quòd ſi ceſſaueris, & tuas & palatij tui ceſſare iubeo propediem annonas.* Mandata etiam,

quod proprium Principis munus eſt, rectoribus prouinciarum dabat. Paulinus in vita Ambroſij: *Lætabatur Probus Præfectus, quòd verbum eius impleretur in Ambroſio: dixerat enim proficiſcenti, cùm mandata ab eodem darentur, vt moris eſt: Vade, age, non vt Iudex, ſed vt Epiſcopus.* Conſularis enim Liguriæ & Æmiliæ fuit Ambroſius, & ex eo tribunali ad Epiſcopatus Mediolanenſis ſolium conſcendit: quod his lectiſſimis verbis docet Baſilius ſcripta ad eum epiſtola: νῦν δὲ ἄνδρα, Θεός, ἐκ τῆς βασιλευούσης πόλεως, ἀρχὴν ὅλου ἔθνους πεπιστευμένον, ὑψηλὸν τῷ φρονήματι γένους λαμπρότητι, περιφανείᾳ βίου, λόγων δυνάμει, πράγμασι τοῖς κατὰ τὸν βίον περίβλεπτον, ἕλκυσεν εἰς τὴν τῶν ποιμνίων τοῦ Χριστοῦ ἐπιμέλειαν. Iudices quoque Præfectus inſtituere, remouere, & qui eorum vices implerent dare ſolebat l. 9. de aduoc. diuer. iudic. l. 3. de offic. Præf. præt. Orient. & Illyr. l. 2. de offic. eius qui vic. Vim legis demùm Ἐπαρχικὰ obtinuerunt l. 2. de offic. Præf. præt. Orient. & Illyr. l. aperiſſimi. C. de iudic. Et quod caput eſt in hac diſquiſitione, Præfectus prætorio merum plenè habuit Imperium, ſoluſque verè ſacra vice iudicabat l. 16. C. Theod. de appellat.

Non eadem ſanè Præfecti vrbis poteſtas; Principis tamen, inquit Symmachus lib. x. epiſt. lv. vicem tuetur l. ſi apud vtrumque C. de appellat. l. 13. C. Theod. eod. tit. vnde in antiquis lapidibus fre-

quenter ſacrarum cognitionum Iudex appellatur; alter & ille quoque ab ipſo Imperatore. Statius de Gallico Præfecto vrbis:

*ſtat proxima ceruix*
*Ponderis immenſi.*

Vetus interpres in illud Iuuenalis:

*ex facie toto orbe ſecunda.*

*Præfectus vrbi fuit venerabilis, ſecundus à Cæſare Tiberio.* Itaque nullum hîc inter præfecturam vtramque diſcrimen, quemadmodum nec in l. 1. C. de Præf. præt. ſiue vrb. Imò & coniunctas aliquando ab Imperatoribus fuiſſe probat hoc Miſithei elogium à Capitolino relatum in Gordiano: MISITHEO EMIENETI VIRO, PARENTI PRINCIPVM, PRÆTORII PRÆFECTO, ET TOTIVS VRBIS. Primum itaque illud tribunal, & de quo hæc in act. v. Concil. Conſtantinop. ſub Mæna, intelligi debent: *Petimus magnificentiam veſtram inſerere quæ facta ſunt, & indicare primo & excellenti ſolio.* Iterum: *Videntur vniuerſa quæ facta ſunt nota feciſſe primo & excellenti throno.* Ideò rectè Vicarij ſecunda iudicia dixit Symmachus epiſt. xxxvj. lib. x. *Veſtræ perennitatis eſt æſtimare contumeliam præfecturæ, cuius cauſidicus nihil paſſus, auxilium ſecundis iudicijs impetrauit.*

Porrò Vicarij ſingulas loco Præfectorum diœ-

ceſes regebant: ex quo Proprӕfectis vocantur in veteri inſcriptione: L. AVR. AVIANIO. SYMMACHO. V. C. PRÆFECTO. VRBI. CONSVLI. PROPRÆFECTIS. PRÆTORIO. IN. VRBE. ROMA. FINITIMISQVE. PROVINCIIS. Et Præfectorum Vicarij, aut vicariam agentes præfecturam in l. 1. de prox. ſacr. ſcrin. & in inſcriptione l. vlt. de long. temp. præſcr. quæ pro libert. Rutilius de Britanniarum Vicario:

Pag. 170. in edit. Grut.

*Quà Præfectorum vicibus frænata poteſtas*
*Perpetuum magni fœnus amoris habet.*

Ὕπαρχον etiam Vicarium vocat Gregorius Nazianzenus in orat. de laudib. Baſilij: κινεῖ δὲ τούτῳ τὸν τῆς Ποντικῆς μοίρας ὕπαρχον. Ponticæ prouinciæ Præfectum exponit interpres: tu, ſi verum amas, non Præfectum, ſed Vicarium; non prouinciam, ſed tractum, aut diœceſim verte. Vetus Grammaticus: ὕπαρχος ὁ ὑπὸ ἄρχοντος ἄλλου ὑποταχθείς. Dubium tamen non eſt ὕπαρχον pro ipſo etiam Præfecto vſurpari. Itaque Vicarius vice Præfecti cognoſcit l. à Proconſulibus. C. de appellat. merum tamen illi Imperium tribuitur: nec enim mandatam exercet iuriſdictionem (quæ proprium nihil habet l. 1. §. qui mandatam. de offic. eius cui mand.) ſed datam à Principe; quoniam prefecturæ portio eius eſt muneri adiuncta, cuius ſplendore perfuſus, ſacræ vicis

authoritatem habet l. 1. C. de offic. Vic. l. 1. de leg. 3. Caſſiodorus in formula vicariatus. & vetus inſcriptio: AGESILAVS. ÆDESIVS. V. C. CAVSARVM. NON. IGNOBILIS. AFRICANI. TRIBVNALIS. ORATOR. &c. VICARIVS. PRÆFECTOR. PER. HISPANIAS. VICE. S. I. C. vnde ſacrum eius auditorium edict. Iuſtin. 8. In ſummis ergo ſingularum diœceſeon tribunalibus, in quibus Præfecti adeſſe non poterant, Vicarij eorum munus exequebantur, & ipſius præfecturæ partes ſuſtinebant: atque ideò nobis hoc capite cum Præfectis coniuncti. *Pag. 28. in edit. Grut.*

Sed tamen non omnes diœceſes Vicarijs creditæ ſunt. Orientem adminiſtrat Comes, de cuius poteſtate ita Zoſimus lib. v. ὁ δὲ, Κόμητα τῆς ἑώας πεποίηκεν. αὕτη δὲ ἡ ἀρχὴ βούλεται τῷ περιβεβλημένον αὐτῆς, ἐφεστάναι πᾶσι τοῖς ἑώας ἐπαρχίας ἰθύνουσι, καὶ ἐπὶ τοῖς οὐ κατὰ δέον πραττομένοις εὐθύνειν. quanquam & is in inſcriptione l. 1. C. in quib. cau. colon. & l. 12. C. Theod. de decur. Vicarius appellatur. Ægypto præpoſitus eſt Auguſtalis ad ſimilitudinem Proconſulis l. 1. de offic. Præf. Aug. & eò videtur pertinere l. 1. de tut. & curat. dat. Sed & ille Vicarius Auguſtalis dicitur in l. 2. C. de his qui prop. met. iud. non appell. magnam eius authoritatem his verbis oſtendit Syneſius epiſt. cv. λογίζομαι ὅτι καὶ βασιλέως ἂν ἐπιτάξοντος καὶ κακοδαίμονός τινος Αὐγουσταλίου, δίκην ἂν ἔδωκα μὴ πειθόμενος.

Duo prætereà (ne à Notitiæ temporibus recedam) in Oriente ſunt Proconſules; & ob id vtrumque Proconſulem dixit Zeno l. 1. de ratioc. op. public. vnus Achaïam Macedoniæ diœceſeos prouinciam regebat; quem memini in veteri quodam lapide Pag. 486. in edit. Grut. Conſulem appellari: VETTIO. AGORIO. PRÆTEXTATO. V. C. CONS. DESIGNATO. ACHAIÆ. PRÆF. VRB. Alter verò Aſiam primam Aſianæ prouinciam procurabat; & ille etiam Conſul vocatus hoc verſu Ανθολ. iij.

Σῆμα δ' ἀμαλδύναντος ἀνωΐστοιο χρόνοιο,
Μάξιμος ἔκδηλον θῆκ' Ἀσίης ὕπατος.

Huius tanta fuit aliquando authoritas, vt Præfecto Orientis faſces minimè ſubmitteret. Eunapius in Maximo: ἔστι δὲ ἀρχῶν ἐνδοξατάτη, καὶ οὐ κατήκοος τοῦ τῆς αὐλῆς ἐπάρχου. Quin & Iuſtinianus Nouell. xxx. ſuum Cappadociæ Proconſulem, quem ἀρχηγέτην vocat, illuſtrem & Præfecto parem eſſe voluit: ſed hoc planè nouum. Vnus denique in Occidente Proconſul, cui ipſa Africæ diœceſis nomen dedit (quamuis vna tantùm prouincia, quæ Proconſularis appellata eſt, eius nutum reſpiceret.) Quapropter in Notitia Imperij, vbi Occidentis magiſtratus recenſentur, hunc locum ita legendum nemo non videt: *Proconſul Africæ vnus, Vicarij ſex:* totidem enim tunc Vicarios Occidens omnis habuit. Nec ignoro tamen Hiſpanias, Palæſtinam,

Cappadociam, Armeniam primam, pluresque alias prouincias Proconſulares aliquando fuiſſe, & inſtitutos à Iuſtiniano eadem cum poteſtate in diuerſis prouincijs Prætores aut Comites; Harmoſtem etiam in Helenoponto Nouell.xxviij. vſurpato Lacedemoniorum vocabulo, de quo Maximus in Dionyſium de Eccleſ. Hierarch. cap. iij. παρὰ τὸ ἁρμόζειν τοὺς ἀρχομένους ζῆν καὶ τοὺς νόμους, ὅθεν καὶ ἁρμοστῆρας πάλαι ἐκάλουν Ἀθηναῖοι, τοὺς εἰς τὸ εὖ ζῆν διατάττοντας. Hæc Maximi ſunt, quæ à Budæo in commentarijs linguæ Græcæ tacito authore referuntur. Redeo ad Procõſules, qui inter ſingularum etiam diœceſeon rectores numerantur l. 1. de oper. public. & vice ſacra iudicant l. à Proconſulibus. C. de appellat. l. 3. C. Theod. eod. tit. Vicarijs poteſtate æquales. Quin etiam maior Proconſulum in mulctæ dictione authoritas l. vlt. de mod. mulct. Quamuis autem vnam plerumque prouinciam adminiſtrarent; Aſiæ tamen Proconſuli plures, Aſia nempe, Helleſpontus, & Inſulæ parebant: ex quibus nihilominùs Inſulæ & Helleſpontus (quæ ſub Vicarij poteſtate fuiſſe primùm videtur l. 1. de offic. com. ſacr. patrim.) ordinarios rectores habuerunt, cùm & Aſia, vt & aliæ Proconſulares, ſolum agnoſcerent Proconſulem; vnde Proconſul quotidianus Iudex & rector appellatur à Saluiano lib. vij. Aſiam Proconſularem ita deſcribit Eunapius: ἀνθύπατον αὐτὸν ἐπιστήσας

τῆς νῦν ἰδίως Ἀσίας καλουμένης. αὕτη ἀπὸ Περγάμου τὸ ἁλιτενὲς ἐπέχουσα πρὸς τὴν ὑπερκειμένην ἤπειρον ἄχρι Καρίας ἀποτέμνεται. καὶ ὁ Τμῶλος αὐτῆς περιγράφει τὸ πρὸς Λυδίαν. rectè ille, τῆς νῦν ἰδίως Ἀσίας· non eadem enim Ptolemæo Aſia propria; anguſtior Proconſularis, quæ ab Eunapio Tmolo monte, & Lydia Aſianæ prouincia terminatur: nam altera Bithyniam Ponticæ prouinciam attingit. Atque hi ſunt magiſtratus, à quibus diœceſes adminiſtrabantur, non pari omnes dignitate & authoritate, ſed tamen omnes, vt iam oſtendimus, eiuſdem præfecturæ participes. Vterque Præfectus illuſtris; quæ prima dignitas: Alij, qui Præfectorum vices obeunt, ſpectabiles; μέσας ἔχοντες τῶν ἀρχῶν Nouell.vij. vltimi clariſſimi, de quibus ſequenti cap. agetur.

Ad omnium autem iſtorum authoritatem ſpectant appellationum iudicia; maior enim Iudex appelletur neceſſe eſt l. 1. de appellat. vt à Prætore Præfectus vrbi l. Æmilius. de minorib. l. ſi apud. C. de appell. an & à Centumviris, quibus Prætor præfuit? neque enim exigua in eos Præfecti vrbis authoritas. Papinius in Gallicum, qui vrbanam gerebat præfecturam:

*Auſoniæ decora alta togæ, centumque dediſti*
*Judicium, mentemque viris.*

A Proconſulibus etiam, cùm Iudices ordinarij eſſent, ad eum prouocari olim potuit, vt docet

Se

Senatus epiſtola apud Vopiſcum in Floriano; demùm à Præſidibus tantùm, certiſque in prouincijs l. cùm appellatio. C. de appell. l. 13. & 18. C. Theod. eod. tit. in reliquis ad Præfectum prætorio l. præcipimus. C. de appell. cui appellationum diſceptationem à Iuliano iam dixi attributam in quibuſdam etiam ſuburbicarijs prouincijs l. 27. C. Theod. de appell. inter quas Campania, vt ex Notitia perſpicuum eſt: ſed nihilominùs ab eius rectore poſteà ad ipſum vrbis Præfectum prouocatum fuiſſe docet Symmachus epiſt. liij. lib. x. *Cauſa quæ poſt Campani moderatoris examen ad ſacrum auditorium migrauit.* nec enim dubium quin tribunal vrbanum intelligat: ſuo igitur Præfecto ſic reſtituta eſt vrbicaria prouincia. A Præſidibus quoque ad Vicarios, & alios ſpectabiles Iudices prouocatio interponi ſolebat l. à Proconſulibus. C. de appell. l. nemo. C. de iuriſd. om. iud. l. minor. §. idem Imperator. D. de minor. quæ de Præfecto & Vicario intelligi poteſt. Idcircò Iuſtinianus, quam exercitus Quæſtori appellationum ex quinque prouincijs cognitionem dederat, eius Vicario denegandam non putauit Nouell. l. vtque ſolitum iudiciorum ordinem retineret, primæ Armeniæ Proconſulem ex ſecunda Armenia, & Palæſtinæ Proconſulem ex vtraque Palæſtina prouocari voluit Nouell. xxxj. & ciij. Ad Aſiæ Procon-

ſulem ſcripta eſt l. 3. C. Theod. de appell. quem à Præſidibus Helleſponti & Inſularum appellatum exiſtimo. Sed & Proconſules, quibus vna decreta erat prouincia, ſacrum nihilominùs auditorium habuerunt; vt Africæ Proconſul l. 3. C. Theod. de appell. quem à gentium Præfectis prouocatum diſcimus l.lxij. C. Theod. eod. tit. gentes enim, quæ in Romanam ditionem venerant, non ſtatim in prouinciæ formam redigebantur Nouell. xxviij.in princ.& xxxj. cap.j.ſed appellationes,quæ à Procõſulibus & Vicarijs ad Principem fiebant,ad poteſtates ampliſſimas,hoc eſt,Præfectũ prætorio, & Quæſtorem tandem deductæ ſunt l. addictos. l.in offerendis.C.de appell. Nouell.xx.& xxiij. non iure tamen ordinario l.præcipimus.eod.tit.Nouell. xx. ſed more rituque conſultationis Nouell. xxviij. de illuſtrium verò appellationibus ipſe Princeps cognoſcebat adhibita conſultatione l.præcipimus. iam citata. Ab vno prætorij Præfecto nefas appellare d. l. à Proconſulibus. C. de appell. ne appellationis verbo delibatum aliquid de tanti magiſtratus gloria videretur. Attaliates tit. xciiij. οὐκ ἠδυνάτο τὶς λέγειν ἐπὶ δικαστηρίου, ὅτι ἐκκαλοῦμαι κατὰ τῆς ἀποφάσεώς σου διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς ἀξίας αὐτοῦ. ſed appellationis locum obtinet ἀναψηλάφησις l. 1. de ſentent. Præf. præt. Nouell. lxxxij.

PRÆSIDES ΜΗΤΡΟΠΟ΄ΛΕΩΝ ἄρχοντες. *Prætura iuriſdictio eſt. Ordinarij Judices omnes clariſſimi. Conſularibus, Correctoribus, & Præſidibus, par & æqualis poteſtas. Omnes Cæſaris legati. Sacræ delegationes. Proconſules, & Vicarij Præſidibus anteponuntur. Præſides, & omnes qui vniuerſas regunt prouincias, gladij ius habent. Excluditur magiſtratus militaris, & Procurator Cæſaris. Js ſæpè Præſidis partibus fungitur. Præſes poteſt non tantùm gladio animaduertere, ſed alias pœnas legitimas decernere. Deportandi tamen & proſcribendi poteſtas ei prorſus denegata eſt. Eorum ſententia refellitur, qui Præſides, quorum prouincijs inſulæ comprehenduntur, deportare potuiſſe exiſtimant. Latâ ſententiâ, pœna illata cenſetur. Non omnes ſcelerum formæ, & pœnarum nomina mandatis inſcribi ſolebant. Quare deportandi ius Prçſidi denegatum fuerit. Jnterdictio aquæ & ignis pœna populi Romani, cuius partes Princeps ſuſtinebat. Ius deportandi habent qui vice ſacra iudicant. Vetus inſcriptio illuſtrata. Jtaliæ Juridici. Judices à pœnis, quæ legibus præſcriptæ ſunt, facilè recedere non debent. L. 4. C. de loc. exponitur. Con-*

*uentus diœceſeôn in earum metropolibus fiebant. Proceſſus Præſidis. In metropoli mandata Principis proponebantur. Ad metropolim priùs adibat Præſes. Iudices prouinciales, poſtquam eis ſucceſſum erat, à metropoli ante dies quinquaginta recedere non poterant.*

## CAP. IX.

IN prouinciarum metropolibus ſedebant Conſulares, Correctores, Præſides; quos ideò Iuſtin. Nouell. I. τῶν μητροπόλεων ἄρχοντας vocauit: olim etiam Prætores (Prætura enim iuriſdictio eſt.) Capitolinus in Gordianis: *Præturam nobilem geſſit; poſt iuriſdictionem Conſulatum iniit.* Extinctam hanc in prouincijs dignitatem Iuſtin. ſuſcitauit.

Præſidis verò nomen generale eſt l. 1. de offic. Præſ. nos eo tantùm clariſſimos prouinciarum rectores hoc loco complectimur, ἐμβάθμους καὶ ἐμπράκτους, vt loquuntur Grȩci: ordinarios in l. omnes. de Epiſc. & cler. l. 7. de offic. rect. prou. l. vlt. de mod. mulct. l. quoniam Iudices. de appellat. Nouell. xxxj. & alibi ſæpè. Synesius epiſt. cxliiij. ἤτεις γράμματα πρὸς τὸν ὀρδινάριον ἄρχοντα, vbi Pentapoleos Præſidem intelligit. Lapis Romanus: CEIONIVM. RVFVM. ALBINVM. V. C. PHILOSO-

*Pag. 370. in edit. Grut.*

PHVM. RVFI. VOLVSIANI. IVD. ORDINARII. CONS. FILIVM. etenim Correctorem eum Italiæ fuiſſe docet alia inſcriptio: verùm ille inter Conſules quoque numeratur. De Palæſtinæ moderatore, quem Notitia Conſularem vocat, ita Iuſtin. Nouell. ciij. ἀρχὴν δὴ τὴν ὀρδιναρίαν καλουμένην κατενεχθείσης. Faſces habuit Præſes; ſed Conſulari faſces, ſecures, & curulem tribuit Caſſiodorus lib.vj.cap.xx. Quapropter Conſulares, quorum dignitatem tanti nominis ſplendor illuſtrabat, primo; Correctores ſecundo; Præſides vltimo loco recenſentur l. 8. C. Theod. de cohort. l. 10. C. Theod. de pag. nec alius in Notitia Occidentis ordo. Primi etiam in Notitia Orientis Conſulares, ſecundi ſunt Præſides, vltimi Correctores; omnes tamen poteſtate ęquales, & Cæſaris legati fuerunt: ita Correctores & Præſides appellantur l. ex omnibus. & l. pen. de offic. Præſ. De legato Aquitaniæ, quæ tres tandem Præſides habuit, fit mentio in l. milites. de cuſtod. reor. legati prouinciæ Lugdunenſis, Ciliciæ, Numidiæ, & Siciliæ, de quibus in l. 15. de excuſ. tut. l. 3. de teſtib. l. 7. de leg. præſt. l. 2. de iur. immun. Conſulares erant. Trebellius de Cenſorino: *Tertiò Conſularis legatus, prætorius ſecundò* &c. Non omittam legatum prætorium inferioris Pannoniæ apud Spartianum: ſed & nota eſt de legato prætorio Africæ vetus inſcriptio. Suc-

currit hîc præclarum de ſacris delegationibus antiquitatis monumentum, quod aſcribendum duxi:
*Pag. 433. in edit. Grut.* M. MÆCIO. MEMMIO. FVRIO. BALBVRIO. C. V. PONTIFICI. MAIORI. &c. COMITI. ORIENTIS. ÆGYPTI. ET. MESOPOTAMIÆ. IVDICI. SACRARVM. COGNITIONVM. TERTIO. IVDICI. ITERVM. EX. DELEGATIONIBVS. SACRIS. &c. Nemo enim eſt, qui neſciat legatos ad prouincias extra ordinem miſſos etiam cum iure gladij, vt ex Sulpicio lib. iij. de vita Martini ſatis notum: de quibus, ne à propoſito declinem, nihil hîc prorſus. Ex his tamen nolim exiſtimes omnes prouinciarũ rectores legatos Cæſaris fuiſſe: Proconſul enim (vt iam monui) non Cæſaris, ſed populi Romani legatus fuit l. 7. de manum. vind.

Præſides autem, id eſt, omnes à quibus ſingulas prouincias cum honore clariſſimo adminiſtrari diximus, Proconſulibus, Vicarijs, & alijs diœceſeon moderatoribus, dignitate & authoritate inferiores fuiſſe compertum eſt: nam à Præſide ad eos appellari potuit; ſicut à Curijs, à Defenſoribus, & locorum Iudicibus ad Præſidem l. 8. quand. prou. non eſt nec. l. 1. quand. appell. ſit. qua ratione ἄρχων ἀρχόντων vocatur Nouell. xv. omnium ille quondam magiſtratuum vrbanorum vice & officio functus eſt l. 10. 11. & 12. de offic. Præſ. nul-

luſque in prouincia maior poſt Principem l.4.eod. tit.vnde prouinciæ Imperator vocatur à Petronio: *Cùm interim Imperator prouinciæ latrones iuſſit crucibus affigi.* Nondum enim diœceſes Præfectis prætorio commendatæ,& inter eos diuiſæ fuerant; ius tamen gladij Præſes ſemper retinuit: & ideò rectè Iſidorus Peluſiota epiſt.cclxiij. lib.iij. Auſonio Correctori gladium tribuit, τὸ δὲ ξίφος, ἄχραντον, ὡς ἐνδέχεται τηρήσας. & in epiſt. cxvj. lib. j. τῶν βασάνων μηχάνημα. vbi hæc ſtatim ſubijcit: φόβον σε τοῖς κακοῖς ὁ θεῖος νόμος ὡρίσατο. Et hoc quidem ius habent omnes, qui vniuerſas prouincias regunt l. illicitas. §.qui vniuerſas.de offic. Præſ.ſolidas dixerunt Imperatores l.3.C.de tabul. & cenſ. idque non magis ad Proconſulem, quàm Præſidem pertinuit. Sed militarem Vlpianus excludit magiſtratum, quia vniuerſa prouincia nunquam ei credita eſt, niſi & ciuili quoque adminiſtratione polleret, ſicut prouinciæ Comes,qui,vt ait Caſſiodorus lib. vij. *Gladio bellico,rebus etiam pacatis,accingitur.* nec Cæſaris etiam Procuratorem comprehendit, qui tamen ab eo Cretam regere dicitur lib. ix. de offic. Proconſ. quoniam ius in prouincia reddebat inter fiſcum & priuatos; Proconſul tamen,à quo omnia in prouincia expediuntur l. nec quicquam.de offic. Proconſ. vniuerſam Cretam eo tempore adminiſtrabat, vt Vlpianus etiam author eſt in l.diuus

Hadrianus ad Turp. Verumenimuerò Procurator, vt maior eſſet eius authoritas, ſæpè Præſidis partibus fungebatur: nec ſemel occurrit in antiquis marmoribus,vt quis Alpium Cottiarum,Sardiniæ, aut aliarum ſit prouinciarum Procurator & Præſes,alioquin certè nulla Procuratori de capitalibus cauſis cognitio. Vlpianus lib. ix. de offic. Proconſ. l. 4. C.ad l. Fab. l. 2. de pœn. Capitolinus in Gordiano de quodam Rationali: *Proſcribens plurimos, interficiens multos, & ſibi vltra procurationem omnia vindicans, retunſus deinde à Proconſule atque legato.* & iure quidem optimo; neque enim minor fuit Proconſulis poteſtas in prouincia,quàm Præfecti in vrbe, qui omnia ſibi crimina vindicabat; ita vt,ſi quid grauiore animaduerſione indigeret, reus ab alijs magiſtratibus ad eum remitteretur l. 1. de offic.Præf.vrb. l.vlt. de offic.Præf.vig. ſcio tamen & ſeruum à Præfecto vigilum vltimo ſupplicio affectum l. vlt. de condict. cauſ. dat. imò ius gladij in vrbe aliquando Præfecto annonæ conceſſum docet inſcriptio illa, cuius partem iam retuli: M. MÆCIO. MEMMIO. &c. PRÆFECTO. ANNONÆ. VRBIS. SACRÆ. CVM. IVRE. GLADII.

Cæterùm Præſes, cui ius gladij proprium eſt l. 1. C.Theod. ne ſin.iuſſ.princ. non tantùm gladio animaduertere poterat, ſed & alias pœnas infligere,

gere quæ vitam adimunt, ſeruitutem iniungunt, ſeu ciuitatem auferunt, aut exilium & coërcitionem corporis continent l.ſi quis fortè.& l.ſequenti de pœn. liberum etiam mortis arbitrium, & fati electionem dabat l.aut damnum.de pœn.nihil non illi attributum cum iure gladij, ſi deportandi & confiſcandi, ſeu proſcribendi poteſtatem excipias l.1.ne quis ſin.iuſſ.princ. l.inter pœnas.de interd.& releg. l. 2. de pœn. Errant illi, qui exemplum relegationis ſequuti l.7.de interd.& releg.eos Præſides ius deportandi habuiſſe exiſtimant, quorum prouincijs Inſulæ continebantur:etenim is,quem Præſes deportandum cenſuit,priuſquàm factum Princeps comprobauerit, ciuitatem non amittit l. 1. §. deportatos. de leg.3. l.6.de iniuſt.rup. l.2. de pœn. l. 1. quand. appell. ſit. Atqui ſi deportare Præſes poſſet,damnatus illicò capitis diminutionem pateretur,& ſeruus pœnæ fieret l.quod ad ſtatum.l.qui vltimo. de pœn. lata enim ſententia, illata pœna cenſetur : eleganter Theophylactus in cap. xix. Ioannis: ἐπεὶ οὖν ἐξότε σταυρῶσαι καὶ τιμωρῆσαι οἱ δικασταὶ λέγονται, ἀφ᾽ οὗ τὴν ἀπόφασιν ἐξενέγκωσι, διὰ τὸ τὴν δύναμιν τῆς τιμωρίας, καὶ τοῦ θανάτου ἐν ταῖς γλωσσαῖς κεκτῆσθαι. vnde ſententiæ gladium dixit Saluianus lib. 1. de gubern. Dei. *Dominus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladio*. Itaque ſi quem relegauerit Præſes qui Inſulam non habet, hoc ſolum petitur à Principe,

vt inſulam aſſignet l. 7. de interd. & releg. quod tamen in deportatione non obſeruatur. Age nunc, confer cum Præſide Præfectum vrbis, cui deportandi poteſtas data eſt l. 1. de offic. Præf. vrb. l. 6. de interd. & releg. adnotatio quidem Principis tunc expectanda eſt, ſed reus ſtatim poſt ſententiam ciuitatem amittit l. 1. de leg. 3. l. 2. de pœn. quod igitur diſertè ſcriptum eſt, Præſidem ius deportandi non habere, hac diſtinctione eludi minimè poteſt.

Porrò κοινὴ πάντων ψῆφος ea quæ ſunt meri Imperij non competere, niſi ſpeciatim concedantur: nec ego ſum neſcius à iure gladij alias grauiores coërcitiones aliquando diſtingui d. §. qui vniuerſas. l. nemo. de reg. iur. verumtamen, niſi perperam iudico, οὐκ αὖ ἀπὸ σκόπου ἁμάρτοι, ſi quis omnia pœnarum genera, atque adeò ipſam deportationem gladij verbo contineri exiſtimet; non enim facilè mihi perſuadeo omnes ſcelerum formas, omnia quæ permitterentur pœnarum genera, mandatis fuiſſe Principum expreſſa; & ſolemne tamen in his fuit Præſidem admonere, vt facinoroſos homines conquireret, eiſque prouinciam purgaret l. 3. de offic. Pręſ. l. 4. ad l. Iul. pecul. Quapropter ſatis erat vetitas pœnas indicare, vt perpetua vincula l. mandatis. de pœn. & Iudicem hortari, ne in pœnis decernẽdis à legum præſcripto recederet Nouell. xvij. cap. v. Scribit Tertullianus in apologetico Neronem in

Chriſtianos *Cæſariano gladio ferociiſſe*; ſed id nemo de ſola capitis amputatione intelligendum cenſeat. nemo Pontici tractus Vicarium, cui ξίφους ἄδειαν tribuit Iuſtinianus edict. viij. gladio punire, ſed alio ſupplicio aut coërcitione reos afficere minimè potuiſſe, arbitretur. Certè quod ait Calliſtratus in l. 3. de off. Procur. Cęſ. Procuratorem Cęſaris deportare non poſſe, *quoniam huius pœnæ conſtituendæ ius non habet*: idem eſt ac ſi dixiſſet eum ius gladij (ſine quo nulla deportandi poteſtas) non habere: qua de re iam ſatis multa. At Conſuli ne ius quidem relegandi conceſſum erat l. 14. de interd. & relegat. quid mirum? nec ille etiam gladij poteſtatem obtinuit; nam ſummum Imperium, quod initio penes Conſules fuerat, pridem abrogatum conſtat l. 2. de orig. iur. & ſi quando difficillimis temporibus ſecurim infligerent, ſolemni vltimæ neceſſitatis formula gladij poteſtatem recepiſſe videbantur: imò ſumma hæc dignitas, honorum olim finis, nouo demùm Imperij fulgore perculſa penè concidit, & vix manumittendi retinuit authoritatem, quæ ingratam ereptæ libertatis memoriam renouaret l. 1. de offic. Conſ. Ergo verius eſt Præſidem accepto iure gladij & deportare quoque potuiſſe, niſi id lege diſtrictè vetitum fuiſſet; ſicut & vetita quoque confiſcatio. Sed cur Princeps ei denegauerit ius deportandi dictu procliue non eſt:

hæc forſan ratio. Interdictio aquæ & ignis (in cuius locum deportatio ſucceſſit l. 3. ad l. Iul. pecul.) pœna fuit ciuis Romani, qui populum ipſum de capite Iudicem habuit l. vlt. de legationib. ſed vbi res in vnius poteſtatem recidit, Princeps cœpit pro populo iudicare: vnde illud M. Antonini apud Capitolinum: *dignitatis reorum eſſe dicens, vt ab eo audirentur, qui pro populo iudicaret.* Quamobrem viſum ad tanti nominis decus reſpicere, vt pœnam quæ priſcæ interdictionis nomen retinuit l. Imperator. de ſtat. hom. is tantùm imponeret qui vices populi implebat, adeò vt ipſe Præfectus vrbis deportare non potuerit, antequàm epiſtola Seueri ad Cilonem expreſſum illud fuiſſet l. 6. de interd. & releg. Præfectis tamen prætorio, Vicarijs, & alijs eiuſdem ordinis magiſtratibus id conceſſum eſt, quia cùm vice ſacra iudicarent, Principis & populi partes ſuſtinebant: ſed nec abſurdum ſit dicere Proconſulem, ſimul atque ſacræ vicis honorem meruit, etiam deportandi poteſtatem accepiſſe: an enim minus eſt vice Principis, quàm Præfecti ex mandatis iudicare l. 1. de leg. 3?

Sunt qui negent omnes prouinciarum Præſides ius gladij habuiſſe, & ita exponunt l. 4. C. de loc. & cond. ego Iudicum authoritatem mandatis Principum, quibus prouinciæ forma conſtituebatur Nouell. xvij. cap. ij. & augeri, & minui potuiſſe infi-

cias non ibo ; memini etiam in veteri marmore iſtud inciſum & perſcriptum: M. ÆLIO. AVRELIO. THEONI. AVG. IVRIDICO. DE. INFINITO. PER. FLAM. ET. VMBRIAM. PICENVM. SODALI HADRIANALI. &c. quod ſubindicare videtur eandem minimè fuiſſe omnium qui prouincias regerent, authoritatem, ſed nonnullis ſæpè maiorem : at certè vix eſt, vt Italiæ Iuridici de crimine vnquam cognouerint, de capite ne vix quidem ; eos M. Antoninus inſtituit. Capitolinus : *Datis Juridicis Jtaliæ conſuluit, ad id exemplum quo Hadrianus Conſulares viros reddere iura præceperat.* Quod audis in lapide illo Hadrianalem ſodalem (quales in antiquis inſcriptionibus multi) Hadriani ἀποθέωσιν ſignificat, & ad Antonini Imperium, qui rerum poſteà potitus eſt, commodè referetur ; quo tempore nondum Italia à Præſidibus prouinciali more gubernari cœperat, omniſque in ea Præfectorum vrbi, aut prætorio de capitalibus cauſis erat cognitio, vt probat quod in quæſtione legis Fabiæ reſpondit Vlpianus ( qui poſteà ſub Alexandro Seuero præfecturam egit) lib. ix. de offic. Proconſ. vbi apertè diſtinguitur Italia à prouincijs in quibus Præſides de lege Fabia cognoſcebant. *Pag. 370. in edit. Grut.*

Venio ad l.4.C.de loc. in qua nihil deprehendo quod delibatam arguat Iudicis ordinarij poteſta-

tem, nec proculdubiò vniuerſa prouincia ſine gladij iure vnquam conceſſa eſt: quid enim Præſidem gladio (quo vti non poterat) accingi oportuit? & ſanè prouinciarum adminiſtrationes, honores iuris gladij à Lampridio vocantur in Seuero. Verùm ita ſui Iudex arbitrij nō eſt in l.hodie.de pœn. vt poſſit à pœnis quæ legibus præſcriptæ ſunt penitùs recedere l.aliud fraus.131.l.ſi qua pœna.244.de verb. ſignif. nec facilè patiuntur Imperatores earum ſeueritatem Iudicum ſentētijs mitigari l. ſeruos.C.ad l.Iul.de vi pub. l.vlt.ne ſacr.baptiſ.iter.l.1.de deſertor.nam præcipuum mandatorum omnium caput erat, ſecundùm leges iudicare Nouell. de mand. princ.cap.v. Caſſiodorus in formula Præſidis: *Voluntatem regiam in legibus habes, illis obtempera, & noſtra cognoſceris implere mandata.* Sed quia effractoribus ſpecialis pœna Principum reſcriptis impoſita non erat, liberum fuit Præſidi quod æquum iudicaret decernere; metallum tamen in plebeio, & relegationem in honeſtiori excedere non poterat l. 1. de effract. Cùm autem ſcelus admiſſum propter atrocitatem pœnam maiorem expoſcere videretur, conſultus eſt Princeps, vt plerumque fieri ſolebat: ille, ſi res grauiorem animaduerſionem exigeret, reos ad Præfectum prætorio, cui vicem ſuam plenè cumulatéque commiſerat, deduci iuſſit. Nec diſſimile exemplum in l. diuus

Pius. ad l. Cornel.de falſ. vbi qui falſa inſtrumenta apud Iudices proferunt,ſi plus meruiſſe exiſtimentur, quàm formula iuriſdictionis pati poſſit, ad Principem reſcribitur; & ita accipiendum putem quod in l. 9. C. de pag. legitur, τὰ τῶν Ἑλλήνων ἀσεβήματα τιμωρεῖσθαι οἱ ἄρχοντες ϰαὶ τὰ ὑπερβαίνοντα αὐτοὺς ἀναφέρουσι. neque enim paganos ſemper vltimo ſupplicio damnari permiſerant Chriſtiani Imperatores l. 6. de pag. Diuerſa planè ratio in Præfecto vigilum qui de effractore cognoſcit;ſed quia nulla illi fuſtium caſtigatione pœna ſeuerior, ſi famoſa perſona fuerit, ad Præfectum vrbi recurrendum eſt l. 3.de offic.Præf.vig. vt relegatione,opinor,ſeu metallo plectatur.

Egi de rectore prouinciæ qui in metropoli ius reddebat, pluribus quàm inſtitueram. Supereſt vt alia pauca addam quæ ad diœceſeôn, & prouinciarum etiam metropoles ſpectant. Primùm, in his ſolemnes, & publicos prouinciarum conuentus (vix enim vlla in prouincia ciuitas frequentior & opulentior) plerumque celebrari ſolitos diſcimus ex l. 12. & 13. C.Theod. de legat. quem ſequutus morem Conſtantinus Tyrannus Septem prouinciarum concilium in noua Arelatenſium metropoli quotannis indixerat. Deinde Præſidem, ſtatim vbi prouinciam ingreſſus fuiſſet, ad metropolim acceſſiſſe probat l.4.§.ingreſſum.de offic.Proconſ.

Quare cùm Valentinianus & Valens honorem metropoleos Nicææ contuliſſent, aut potiùs anteà datum confirmaſſent ea conſtitutione, cuius exemplum in act. xiij. Concil. Chalced. deſcribitur, cautum eſt vt rector prouinciæ priùs, quemadmodum ſolebat, Nicomediam veterem metropolim contenderet: *Permaneat in perpetuum*, aiunt Imperatores, *iſta conſuetudo, vt ciuitas veſtra*, (Nicæa) *ſit metropolitana; conſuetudine tamen in proceſſu Bithyniæ Iudicis permanente: nullus enim aufert aliquid aliorum.* Nam hic proceſſus Iudicis, ſolemnis eſt in prouinciam aduentus (vnde in veteri gloſſario procedit προκόπτει ἐπὶ τάξει) quo tempore ingens fiebat populi concurſus (de quo Cicero in quadam ad Atticum epiſtola valdè gloriatur) fauſtiſque, & honorificis vocibus excipi Præſes ſolebat l. 3. de offic. rect. prou. In metropoli etiam Principis mandata proponebantur, vt faciliùs innoteſcerent Nouell. xvij. ibidem Præſes ferè tota hyeme ius reddere l. 6. de offic. rect. prou. æſtate verò, vt commodiùs prouincialium deſideria audire, rei frumentariæ proſpicere, publicas exactiones curare, & ſi quæ impoſita eſſent prouinciæ vulnera ſanare poſſet, alias ciuitates obire conſueuerat. Strabo lib. iij. ὁ ἡγεμὼν διαχειμάζει μὲν ἐν τοῖς ἐπιθαλαττίοις μέρεσι, καὶ μάλιστα τῇ Καρχηδόνι καὶ τῇ Ταρρακῶνι, δικαιοδοτῶν. θέρους δὲ περίεισιν, ἐφορῶν ἀεί τινα τῶν

δεο

δεομένων ἐπανορθώσεως. Cicero vij. in Verrem: *Tum verò æſtas ſumma eſſe iam cœperat, quod tempus omnes Siciliæ ſemper Prætores in itineribus conſumere conſueuerunt.* & infrà: *Æſtate ſummæ, quo tempore cæteri Prætores obire prouinciam, & concurſare conſueuerunt.* De huiuſmodi itinerum expenſis meminit Iuſtinianus Nouell. xvij. & xxviij. & cxxviij. eoq́ue pertinent trium dierum annonæ, quæ à Præſide in ſingulis tantùm ciuitatibus quotannis exigi poterant Nouell. Maioriani. de Curialib. quam intelligit Caſſiodorus epiſt. xiiij. lib. v. *Iudex Romanus propter expenſas prouincialium, quæ grauare pauperes ſuggeruntur, per annum in vnumquodque municipium ſemel accedat; cui non amplius, quàm triduanæ præbeantur annonæ, ſicut legum cauta tribuerunt.* Omnes denique prouinciales Iudices, poſtquam eis ſucceſſum erat, integros quinquaginta dies in metropolibus manere cogebantur l. 1. vt om. iudic. Nouell. viij. xix. cxxviij. clxj. præclaro herclè inſtituto; vt qui Reipublicæ curam ſuſciperet, in ea ipſa vrbe, in qua clauum tanquam in puppi tenebat, ſe depoſitis faſcibus priuatum aliquando fore cogitaret. Adijci & alia poſſe de metropoleôn dignitate non dubito, quæ diligens antiquitatis inueſtigator ſupplebit.

*IVDICES LOCORVM, VICARII, τοποτηρηταὶ, loci ſeruatores. Nullus eis in Imperij deſcriptione locus: in qua Præſes minor eſt magiſtratus. Syneſius exponitur. Nulla ciuitas ſine Curia. Album Decurionũ, laterculum, κατάλογος. Militum nomina aureis literis in matriculis deſcripta. Album ex priſco marmore. Principales, ſummates, primates, ſeu ſeniores. Curiæ Senatus Romani exemplo inſtitutæ. Senatus appellatio ab his vſurpata. Nicephori interpres reprehenditur. Vetus pœna, vt reus Curiæ traderetur. Curiales cum Senatoribus componuntur. Lex Curiæ, vt plebeius Decurionatu adepto nobilis fieret. Nobilitas à patre cenſetur. Nulla in ordinibus ciuitatum ſanguinis materni ratio, niſi à Principe id conceſſum fuiſſet. Ætas ſenatoria. Imperatores ipſi magiſtratus municipales aſpernati non ſunt. Coloniæ ſimulachra vrbis Romæ. Magiſtratuum Romanorum nomina vulgò in ciuitatibus & municipijs recepta. Magiſtratus municipales proſtrato Imperio Conſules appellati. Annua Decurionum vt plurimùm adminiſtratio, aliquando quinquennalis. L. 1. C. de profeſſorib. & medic. explicatur. Defenſores Syndici dicti. Patres*

*ciuitatum. Nominationes Decurionum, magiſtratuum, & eorum quibus munera ciuilia imponebantur. Ex plebeiorum familijs ditiores in Curiam vocati. Juliani Imperatoris locus illuſtratus. Poſtulati etiam à populo ſine decreto non admittuntur. De Profeſſorum, & Medicorum ſalarijs & immunitate, ordinis eſt decernere. Reliquæ immunitates à Principe petuntur: hæ plerumque temporales. Curiarum largitiones non prorſus vetitæ. Quædam ex præcepto Præſidis ordini deferuntur. Geſta municipalia.* Τῶν πόλεων ἄρχοντες. *Magiſtratuum municipalium poteſtas. Multa iuſſu Præſidis exequuntur. Jidem Judices ab eo dati in cauſis pecuniarijs, propria tamen illis iuriſdictio vſque ad certam quantitatem. An multam irrogare potuerint dubitatur. Alia eorum munia indicantur. Defenſores magiſtratus non ſunt. Eorum authoritas, quam auxit Juſtinianus. Non eadem omnium ciuitatum adminiſtratio, nec ſimilis magiſtratuum numerus. Nemo ferè niſi inuitus Decurio fiebat. Album Curiæ* πόνηρον βίβλιον *Syneſio. Curiales vix liberi. Honos municipalis* λειτούργημα. *Jlluſtris ea de re Theophilacti locus expenditur. Editionum neceſſitas municipalibus magiſtratibus impoſita. Tributa, Decurionum periculo exigi ſolebant. Allectores, & Allectura.*

*Vindices ab Anaſtaſio inſtituti. Curiæ à Leone funditùs euerſæ. Vicis Curiales attributi. Præpoſiti pagorum.*

## CAP. X.

PRÆSIDIS, qui prouinciam vniuerſam moderatur, ſedem in metropoli conſtituimus; eius partes in diuerſis ciuitatibus peragebant qui Iudices locorum vocantur in l. 2. C. de re. exhib. Vicarij, τοποτηρηταὶ, loci ſeruatores, ἐκ τοῦ τηρεῖν, ὅ ἐστι φυλάσσειν ἤτοι ἀναπληροῦν τοὺς τόπους τῶν στελλόντων αὐτούς. à magiſtratu enim, & potiſſimùm à prouinciæ rectore delegari ſolebant Nouell. viij. xvij. cxxviij. & cxxxiij. Alexandriæ tamen Iuridicum, vt Strabo author eſt, Princeps dabat. Theophilactus in cap. xix. hiſtor. Apoſtolicæ, ἀστελεῖς illos cauſarum diſceptatores, quos ἀγοραίους appellat, ideò cum Defenſoribus ciuitatum componit, quia Iuſtinianus exploſis omnium Iudicum Vicarijs, quidquid muneris eorum fuit iam Defenſoribus iniunxerat Nouell. xv. ſed illis locorum Iudicibus nullus in noſtra Imperij deſcriptione locus. Præſes ordinarius totius prouinciæ Iudex eſt, nec eo quiſquam in Romana Notitia inferior. Idcircò hæc Syneſij in epiſt. cj. τοῖς ἄρξασιν ἡμῶν ἐκ τῆς ἐλάττω, ἐκ τῆς μείζω, καὶ τὴν Αἰγυπτίων ἀρχὴν, ita expono, vt minor ſit

dignitas Præſidis à quo Pentapolis regebatur; maior Ducis vel Comitis, qui hunc Ægyptiaci tractus limitem ab hoſtium excurſionibus tuendum ſuſceperat l.vlt.C.de diuerſ.offic.quem etiam Comitem dixit idem Syneſius epiſt. cxliiij. περὶ τοῦ Κόμητος ἐγεγράφεις λέγω τοῦ τυχόντος ἀρχῆς τῶν ἐν τῇ πατρίδι στρατιωτῶν. poſt quæ ſtatim ei adiungit & Præſidem. Auguſtalem verò totius diœceſeos Præfectum fuiſſe nemo ignorat.

Curiæ tamen, & municipales magiſtratus prætermittendi non ſunt: omnes enim ciuitates Curiam, ſeu, vt Plinius loquitur, Bulen habuerunt; adeò vt ſi vico fortè ius ciuitatis ab Imperatore deferretur, illicò Curiales ei darentur, quos plerumque ex ea ciuitate, in cuius territorio vicus fuerat, ſumptos exiſtimem. Eò hic ſpectat locus in act. xiij. Concil. Chalced. *Fuit Baſilinopolis ſub Nicæa; Imperator quidam Julianus (aut neſcio quis ante eum) fecit eam ciuitatem, & ſumens ex Nicæa Curiales ibi conſtituit.* vnde τῶν πόλεων λειτουργήματα. De albo Decurionum frequens mentio in libris noſtris; laterculum vocat Cedrenus: ἐφ' οὗ βουλευτῶν καὶ στρατευμάτων ὀνόματα ἀπεγράφετο. Dexippus in eclog. legat. (liceat hoc ἐν παρέργου χώρᾳ τιθέναι) exercitus Romani matriculas, quas militaribus ſignis adnumerat, aureis literis deſcriptas fuiſſe memoriæ prodidit, his verbis: κατόπιν δὲ βασιλέως τὰ σήματα ἦν τῆς

ἐπιλέκτης ϛρατιᾶς. τὰ δέ εἰσιν ἀετοὶ χρυσοῖ, καὶ εἰκόνες βασίλειοι, καὶ ϛρατοπέδων κατάλογοι γράμμασι χρυσοῖς δηλούμενοι. ſic βουλευτῶν κατάλογον dixit Iulianus in Miſopog. Album ex priſco marmore retulit Lipſius, ſed ciuitatis nomen excidit. In eo præponuntur quidam Sacerdotes domus Auguſtæ, primum deinde locum obtinent viri clariſſimi & honorati; quod ita eſt accipiendum, vt qui Principis iudicio honores conſequuti fuerant, præferrentur l. vlt. de alb. ſcrib. ſequuntur poſteà Decemprimi, ſeu Decaproti, hoc eſt, principales; demùm ordo ſubijcitur, in quo reliqui ſunt Decuriones: & ita principales ab ordine ſeiunctos videmus hoc lapide: L. ARADIO. VALERIO. PROCVLO. V. C. &c. VIRI. PERFECTISSIMI. ET. PRINCIPALES. ET. SPLENDIDIDISSIMVS. ORDO. ET. POPVLVS. PVTEOLANORVM. PATRONO. DIGNISSIMO. verùm in albi deſcriptione de principalibus ſilet Vlpianus l. 1. de alb. ſcrib. nec malè, nam in numero Decurionum habentur, ſed honore & authoritate præcellunt; vnde ſummates & primates ciuitatum vocantur l. 57. C. de decur. l. de creationibus. de Epiſcop. audient. l. vlt. C. de curat. fur. & ab Auguſtino in epiſt. xliiij. cuius verba: *Decuriones & primates ciuitatis per plateas bacchantes*. Seniores etiam appellati in edicto Marcellini notarij qui Carthaginenſi collationi

*Pag 361. in edit. Grut.*

præfuit,& Nouell.Maior. de Curialib.

Inſtitutæ porrò Curiæ fuerunt exemplo Senatus Romani, κατὰ τὴν βασιλευούσης πόλεως μίμησιν, inquit Iuſtinianus Nouell.xxxviij. adeò vt ipſum Senatus nomen ſibi aſciſcerent: quo factum, vt vtramque Curiæ,& Senatus appellationem coniunxerit Auſonius in Moſella:

*quos Curia ſummos*
*Municipum vidit proceres, propriumq; Senatum.*

Non laudo tamen Nicephori interpretem, qui Clericos à Iuliano Curijs mancipatos, Senatorum etiam munere functos dixit lib. x. cap. xiij. ſatius erat (ne incauto lectori imponeret) Decurionum vocem vſurpare, vt in veteri Marci interpretatione cap. xv. aut Buleutarum nomen retinere, quo Plinius, Spartianus,& Syrus Marci interpres,vſi ſunt. Nam hac pœna (quæ in Eccleſia & Repub. antiquitùs incognita minimè fuerat l. 1. C. Theod. de curſ.publ.can.clericus.3.quęſt.4.can.ſtatuimus.11. quæſt. 1.) Clericos impius Princeps mulctabat:ſed cautum poſteà à Gratiano,ne ſupplicij loco Curiæ honos tribueretur l.38.C.de Decurion. Enimuerò quid iniquius aut indignius, quàm tot clariſſimos ciuitatum ordines turpi dedecore & ignominia notare. Multa ſunt profectò in quibus Curiales cum Senatoribus componantur: nobilis Senator, nobilis & Decurio l.fœminæ.de Senator.l.reus. de

muner. & honor. nec dubium eſt, quin adepto quoque Decurionatu plebeius humilem fortunam & conditionem exueret; lex illa Curiæ Prudentio in Romano Antioch.

*abſit, vt me nobilem*
*Sanguis parentum præſtet, aut lex Curiæ.*

Sed & vterque nobilitatem ſuam paterno ſanguine tuetur l. 36. de decur. Ambroſius in cap. iij. Lucæ: *Viri perſona quæritur qui etiam in Senatu & reliquis Curijs generis aſſeruat dignitatem.* Nulla matris ratio habita l.44. C.l.137.C.Theod. de decur. niſi id à Principe concederetur, vt Ilienſibus, Delphis, & Ponticis l. 1. ad municip. & hoc etiam iure Antiocheni olim vtebantur: ſed Iulianus beneficium ab alijs Imperatoribus profectum, vt ipſe teſtis eſt l. 22. de decur. ita auxit & cumulauit, vt eius author crederetur l.61.eod.tit. Zoſimus lib.iij. huc referendum eſt quod de ſe ille gloriatur in Miſopog. βουλευτηρίου τὸν κατάλογον διακοσίοις βουλευταῖς ἀνεπλήρωσα. & rurſus: τὸν κατάλογον ὑμῶν ηὐξήσαμεν. Quin eadem, vt opinor, & Senatoris ætas & Decurionis, qui ante vigeſimumquintum annum in ordinem allegi non poterat l.ſpurij. l.non tantùm. de decur. ætatem itaque hanc ſenatoriam videtur Auguſtinus appellaſſe lib. ij. de ordine: *Rempublicam nolint adminiſtrare niſi perfecti; perfici autem intra ſenatoriam ætatem feſtinent, vel intra iuuentutem.*

Rur

Rurſus nec Senator nec Decurio fiebat qui libertus eſſet l. 9. C. de dignit. l. 1. ſi ſeruus aut libert. donec Iuſtinianus ius aureorum annulorum libertis omnibus largitus eſt Nouell. lxxviij. Denique in primo Curiæ, de quo in l. Alexandrinis C. & in l. 127. C. Theod. de Decurion. Senatus Principem expreſſum nemo non videt. Cætera de genere hoc non ita ſunt recondita, vt exquiſitiorem operam deſiderent. In pœnis, in cenſu, in connubiorum dignitate, in ſuffragijs, & decretis ampliſſimum ordinem imitantur ordines ciuitatum. Et ne auguſtos Roma Conſulatus ſola iactaret, ipſos etiam municipiorum magiſtratus Imperatores non ſunt aſpernati, vt ex Spartiano didicimus in Hadriano, de cuius duumuiratu nota eſt vetus inſcriptio.

Sanè Coloniæ, in quibus Decuriones primùm ſunt conſcripti l. 239. de verb. ſignif. *quaſi effigies paruæ*, vt ait Gellius lib. xvj. *ſimulachraque populi Romani fuerunt*. A Colonijs autem exemplum ceperunt reliquæ ciuitates; vbique paruæ Romæ, *ſimulataq; magnis Pergama:* exin clariſſima Dictatorum, Cenſorum, Conſulum, Prætorum & Ædilium vocabula in ciuitatibus & municipijs vulgò & paſſim vſurpata ſciunt mediocriter literati. Proſtrato demùm Imperio omnes ferè magiſtratus municipales in Italia Conſules ſunt appellati. Gun-

therus lib. viij.

*Si tamen Jtalicis fuerit legatus in oris*
*Regius, hoc ipſum Regis vice iuris habebit,*
*Et de Conſulibus diſponere cuncta valebit.*

Ante tamen ſæpiùs Duumuiri, Quatuoruiri, aut Sexuiri; ſed pleraſque ciuitates Duumuiri inſtar Conſulum adminiſtrabant, præcipuoque in his honore fungebantur l. 1. de alb. ſcrib. eaque vt plurimum annua adminiſtratio l. quid ergo ad municip. l. 18. C. de Decurion. quamuis aliquando etiam quinquennalis, vt in illo lapide: T. APPÆO. T. F. &c. IIVIR. QVINQ. BIS. OB. MERITA. EIVS. cui non diſſimiles ſunt & aliæ inſcriptiones, atque hinc luſtrum municipale in antiquis monumentis. Verùm à magiſtratibus quinquennales ſeparantur in l. 1. C. Theod. de med. & prof. *Si quis Profeſſores vexauerit, centum millia nummorum ærario inferat, à magiſtratibus vel quinquennalibus exactus.* Hìc, ſi quid veri mens augurat, Quinquennales ſunt defenſores ciuitatum, quorum munus ante Iuſtiniani conſtitutionem in Nouell. xv. integro quinquennio exercebatur l. 4. de defenſor. ciuit. Nec temerè (cùm magna in rebus gerendis præſertim erga populum authoritate valerent) magiſtratibus adiunguntur l. 3. de infant. expoſ. l. 3. C. Theod. de exhib. reis. l. 12. C. Theod. de pagan. & ſacrif. Tribunorum illi loco ſunt, &

*Pag. 359. in edit. Grut.*

patris vicem plebi exhibent, eamque tuentur & defendunt d. l. 4. de defenſ. ciuit. l. 1. C. de offic. Iurid. Alex. Et quia Reipublicæ cauſas agebant, Syndici etiam vocantur l. 1. & vlt. §. defenſores. de mun. & honor. l. 1. quod cuiuſq. vniuerſ. Philoſtratus in Polemone: ἤειζεν ἡ Σμύρνα ὑπὲρ τῶν ναῶν, καὶ τῶν ἐπ' αὐτοῖς δικαίων, ξυνδικον πεποιημένη τὸν Πολέμωνα, ἐς τέρμα ἤδη τοῦ βίου ἥκοντα. ἐπεὶ δὲ ἐν ὁρμῇ τῆς ὑπὲρ τῶν δικαίων ἀποδημίας ἐτελεύτησεν, ἐγένετο μὲν ἐπ' ἄλλοις ξυνδίκοις ἡ πόλις. πονηρῶς δὲ αὐτῶν ἐν τῷ βασιλείῳ δικαστηρίῳ διατιθεμένων τὸν λόγον, βλέψας ὁ αὐτοκράτωρ ἐς τοὺς τῶν Σμυρναίων ξυνηγόρους, οὐ Πολέμων εἶπε τουτοῦ τοῦ ἀγῶνος ξυνδικος ὑμῖν ἀποδέδεικτο. Sunt & patres ſeu curatores ciuitatum, qui (vt magna paruis comparare pergamus) ipſos Patritios τοὺς κοινοῦ πατέρας referunt, ex Duumuiralibus creati l. 1. de his qui ſua ſpon. mun. ſuſcip. l. 2. C. Theod. de decur. delatum enim hunc primarijs Decurionibus honorem non obſcurè ſignificat Arrianus in Epict. lib. ij. cap. x. εἰ βουλευτὴς πόλεώς τινος εἶ, ὅτι βουλευτὴς νέος, ὅτι νέος, εἰ πρεσβύτης, ὅτι πρεσβύτης, εἰ πατήρ, ὅτι πατήρ.

Nunc ea inueſtigemus quæ ad Curiæ municipaliumque magiſtratuum authoritatem & dignitatem reſpiciunt, in quibus ſunt primùm nominationes quæ in legitimo ordinis conuentu non ſine duabus ſaltem Decurionum partibus fiebant l. 46. C. de Decurion. l. 84. C. Theod. eo. Itaque

ſeu Curialium ſeu magiſtratuum, aut eorum quibus munera imponebantur electionem ſpectes, nihil ratum & firmum ſine decreto; vnde decreta facere Iuliano in Nouell. cxxiij. eligere eſt. De Decurionum nominatione dubitari non poteſt l. *66.* C. Theod. de decur. Etenim filij, licet paternam retinerent conditionem, eligi tamen ſolebant l. 53. eod. tit. & alij ex locupletioribus plebeiorum, incolarum, & vacantium familijs ſolo ordinis iudicio cooptabantur l. 53. *96.* & 133. C. Theod. de decur. Quamobrem queritur in Miſopogone Iulianus tenuis fortunæ hominem Antiochiæ ex infima populi fece ad Curiæ honorem euectum non expectato decreto, καὶ τῶν ἄλλων λειτουργίᾳ, hoc eſt, cùm eius vice alij ſe muneribus ciuilibus obligaſſent, aut fideiuſſores acceſſiſſent, vt de patre dicitur in l. 1. C. de decur. quod interpres aſſequutus non videtur: βουλὴν, inquit, ὀνομάσαντες, πρὶν προσγραφῆναι τῷ καταλόγῳ, μετεώρου τῆς δίκης οὔσης, ὑπελάβετε, καὶ λειτουργίᾳ τῶν ἀνθρώπων ἄλλων ἐπ' ἀγορᾶς εἱλκύσατε, πένητα, ἐκ τῶν ἁπανταχοῦ μόλις ἀπολελειμμένων. Magiſtratus verò qui ex ordine Decurionum ſumebantur l. honores. de decur. ſuo ſibi periculo ſucceſſores nominabant l. Imperator. ad municip. ſed eos nihilominùs datis rurſus fideiuſſoribus qui Rempublicam ſaluam fore promitterent l. 2. eod. tit. ab ipſo ordine creari & à Præſide approbari opportuit l. 1. §. ſo-

lent quand. appell. ſit. l. 59. C. de decur. adhibita & aliquando populi ſuffragia l. 1. C. Theod. quẽad. mun. ciuil. indic. neminem tamẽ à populó poſtulatum ſine Curiæ decreto Præſes admittebat l. ſi conſtet. de appellat. ideò rectè cum poſtulatione decretum coniungitur in veteri inſcriptione: DVELIO. TROPHIMO. CVRATORI. MVN. PVBL. DECRETO. DECVRIONVM. POSTVLANTE. POPVLO. nec aliter hæc eſt intelligenda: SEX. LIGVRIVS. IIVIR. DESIGNATVS. EX. POSTVL. POPVLI. &c. Ipſi quoque Defenſores plebis nunquam ſine ordinis decreto eligebantur l. iubemus. de Epiſcop.aud.l.8.C.de defenſ.ciuit.l.1.C.Theod. eod.tit. eoſque Præfectus prætorio aut Princeps confirmabat d. l. 8. Nouell. Maioriani. tit. v. Solemnes etiam ad munera publica nominationes ordine conuocato celebratas à magiſtratibus conſtat l.2. C.de decur. Nõ omittam naturales liberos Curiæ oblatos legitimos,& Decuriones fuiſſe l.3. & 4.de natur. lib. Nouell. lxxxix. De Profeſſorum Medicorumque approbatione, ſalarijs & immunitate ordo decernebat l. 1. & 4. de decret. ab ord. fac.l.1.C. eod.tit. l.2. de profeſſ. aliorum immunitates ſui beneficij Princeps fecerat, quæ ſæpiùs temporales ( tanta fuit in remittendis muneribus religio) l. 14. C. de decur. l. 1. de his qui à Princ.

Pag. 483. in edit. Grut.

Pag. 431.

vacat. accep. quemadmodum κούφισμος ſeu releuatio plerumque ad tempus l. vlt. de ann. & trib. Priſcus in excerp. τοὺς κατὰ χρόνον τινὰ τῶν βαρυτάτων κουφισθέντας τῆς γῆς ἀποτίμησιν εἴτε δυναστῶν χειρὶ, εἴτε βασιλέων φιλοτιμίαις. Curiarum largitiones non probantur l. 4. de decr. ab ord.fac. has tamen Saluianus lib.v. de gubern. Dei. (vbi grauiter & acerbè in Decuriones inuehitur) prorſus vetitas non putauit, ſic enim ille: *Decernuntur noua munera, decernuntur nouæ indictiones, decernunt potentes quod ſoluant pauperes, eſtote primi in largitate rerum qui primi eſtis in libertate verborum, quod pauci iubetis, ſoluamus omnes, grauant nos nouis debitis decreta veſtra.* Et certè magiſtratibus, patronis & benemeritis de Republ. funus nonnunquam ab ordine indictum, & ſtatuas publicis impenſis poſitas docent inciſa ſaxis antiquis epigrammata; vnum quod Narbonæ pridem me legiſſe memini, aſcribere non pigebit: LIG. Q. FIL. FRONTINÆ Q. HORTESI RATVLLI. HVIC ORDO NARBONENSIS PVBLICE FVNVS ET OMNES VECTIGALES DECREVIT.

*Non eadem prorſus apud Grut. pag. 430.*

Quod de vectigalibus hîc legitur aliquam fortè lucem adferet Macro in l.funeris.de relig.& ſumpt. fun. Cæterùm prehenſio, quæ magnam præ ſe fert authoritatem, vt ex Varrone docet Gellius lib. xiij. cap. xiij. magiſtratui & ordini videtur aliquando

conceſſa: ſed forſan ex præcepto Præſidis. Auguſtinus in breu. collat. & in epiſt. lxij. *Cùm detentus eſſet à curatore & ordine.* lib. iij. ad Creſconium: *Tu quid egiſti cùm tentus es à curatore & ordine.* Tutoris prætereà dationem habuit Curia l. pen. qui pet. tut. iubente etiam, vt opinor, Præſide & magiſtratu abſente, vt innuit l. vbi. de tut. dat. ab his. habuit & actorum conficiendorum poteſtatem l. vlt. C. Theod. de exhib. reis. l. 151. C. Theod. de decur. Auguſtinus epiſt. clxxj. *Quidam geſtis municipalibus codices ſanctos & inſtrumenta Eccleſiæ perſecutoribus tradiderunt.* & poſteà: *Geſtis municipalibus oppugnatum.* Hæc de Curijs, quæ ſuis præfuerunt ciuitatibus Nouell. xxxviij. Leo Nouell. xlvj. & id nimirùm eſt quod ait Papinianus: *Summam Rempubl. municipibus commiſſam.* l. municipes. ad municip. atque ideò in præfatione Nouell. xv. τῶν πόλεων ἄρχοντας magiſtratus municipales expono; nec alij fortaſsè Præſides ciuitatum apud Firmicum lib. iiij. cap. vij. *Ciuitatum vel prouinciarum Præſides faciet.*

Ecquis magiſtratus iſtos Reipublicæ indecores aut parum neceſſarios cenſeat? horum partes fuerunt vectigalia locare, opera publica curare, rationes publicas diſcutere, ciuitatis pecunias adminiſtrare & exigere, Reipublicæ actiones inſtituere, & eius nomine contrahere l. 2. & vlt. ad municip.

l. 3. §. planè. quod vi aut clam. l. 3. & vlt. de admi-
niſtr.rer.ad ciuit.pertin. l.in honorarijs.de oblig. &
action.l.1.de ratioc.oper.publ.Non illis faſces,non
aſſeſſores defuerunt l.53.C.de decur. l.vlt.de offic.
aſſeſſ. iuriſdictionem,non merum imperium habe-
bant l.ea quæ ad municip. his tamen cautionem &
poſſeſſionem (quæ magis imperij ſunt quàm iuriſ-
dictionis l.4.de iuriſd.) Præſes iniunxit l.4. de dam.
inf.nec enim dubium eſt quin magiſtratuum muni-
cipalium opera plerumque Præſides vterentur, vt
in exequendo de adeunda vel reſtituenda hæredi-
tate iudicio.Paul.lib.iiij.recept.ſent.cap.iiij.& in tu-
toris datione l.Lucius.§.cum teſtamento. de admi-
niſtr. tut. §.ſed hodie. de Attill. tut. quod Iuſtiniani
conſtitutione immutatum eſt: ſic & pignoris ca-
pionem habuerunt l. quemadmodum. ad l. Aquil.
ſed non ſine iuſſu Præſidis l. nominatori. C. de
pignor. Addo in pecuniarijs cauſis Iudices à Præ-
ſide datos; quò pertinent hæc in veteri quodam
colloquio: κριτήριον; πρὸς τίνα; πρὸς τὸν ταμείαν; οὐκ ἐκεῖ.
ἀλλὰ ποῦ. πρὸς τὸν ἀνθύπατον· οὐδὲ ἐκεῖ, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἄρχοντας
ἐξ ὑπογραφῆς τοῦ διέποντος τὴν ἐπαρχίαν. ποταπὸν δέ ἐστιν αὐτὸ
τὸ πρᾶγμα; οὐ πάνυ μέγα. ἔστι γὰρ χρημάτων, ἵν᾽ ὅλον εἰδῇς.
verùm & propriam iuriſdictionem vſque ad cer-
tam quantitatem exercebant. Paulus lib. v. tit. v.
recept. ſentent. l. inter. ad municip. quam pœnali
iudicio defendere non potuerunt l. 1. ſi quis
ius

ius dic. non obtemp. ſed cùm publicè ius redderent, mulctæ dicendæ poteſtatem eis non malè attributam cenſeas l. 2. de iudic. mulctam enim à pœna differre notiſſimum eſt l.aliud eſt fraus.131. l.ſi qua.144.de verb.ſignif.At vereor ego,ne quod ait Vlpianus in citata lege 131. mandatis permiſſum fuiſſe vt ſoli magiſtratus & Præſides mulctam dicerent,Decurionibus parùm conueniat, ad quos Principum mandata non pertinent. Porrò & apud municipales magiſtratus nonnunquam adoptari, emancipari,& manumitti potuit, quia legis actionem aliquando habuerunt. Paulus lib. ij. cap. xxv. l.4.de adop.l.vlt.C.de vind.libert. Ius prehenſionis ( quod ſolis competit magiſtratibus qui in ius vocari non poterant,vt Gellius docet lib. xiij.) Præſides & alij habent quibus eſt imperium & poteſtas, non minores magiſtratus l. 2. de in ius voc. l. pars literarum. de iudic. l. nec magiſtratibus. de iniur. nempe municipales; à quibus tamen rei ad Præſides remittuntur l.5. C.Theod. de exhib. re. In paſſion.Datiui & Saturnini: *Cùm ab officio Proconſuli offerrentur, ſuggererenturque quod à magiſtratibus Alutinenſium tranſmiſſi eſſent Chriſtiani.* verùm in actis Martyrum & comprehenſos à magiſtratibus municipalibus Chriſtianos aliquando legimus; quia nimirùm id eis à Principe, aut Præſide præſcriptum fuerat. Quod ſtatuitur in l. 1. C.

Theod. de curſ. publ. vtilitas publica extorſit: conceſſa tamen in ſeruos modica caſtigatio l. magiſtratus. de iuriſd. l. item. §. vnde. l. ſed ſi. §. ſeruus. de iniur. fuit & de fugitiuis eorum cognitio l. ſi quis vxori. §. ſi fugitiuum. de furt. ab his acta fiebant l. vlt. de magiſtrat. munic. l. 1. de offic. iurid. Alex. C.

Defenſores verò magiſtratus non ſunt, ſed ἀρχικῆς σεμνότητος (vt loquitur Iuſtinianus qui eorum poteſtatem auxit) μίμημα ἔχουσι. diſciplinæ publicæ vindices dicti, plebis tutores, & Decurionum patroni l. 4. 5. 6. de defenſ. à quibus alij ſunt, quos in prouincijs Senatus habuit defenſores l. 2. & 3. C. Theod. de præd. Senat. Data eſt tamen ciuitatum defenſoribus reorum etiam ad Præſides mittendorum cura, & ſollicitudo, de minoribus cauſis cognitio, actorum confectio, ſeruorum publicorum perſecutio & inueſtigatio l. 1. 4. & 6. de defenſ. ciuit. l. iubemus. de Epiſc. aud. l. mancipia. C. de ſeru. fugit. Sed nullum illis mulctæ dicendæ ius l. 5. de defenſ. ciuit. vt nec legis quoque eos actionem habuiſſe reperies: verùm in maioribus criminibus prehenſionem, in leuioribus coërcitionem dedit illis Iuſtinianus Nouell. xv. nec tutoris dationem denegauit §. vlt. de Attill. tut. At profectò non eodem more inſtitutoque ciuitates omnes regebantur, nec par vbique magiſtratuum municipalium numerus. Saluianus lib. vij. de gubern. Dei. de Car-

thagine: *Illic omnes rerum diſpenſatores, & differentes inter ſe tam gradu, quàm vocabulo dignitates, omnium, vt ita dicam, platearum & compitorum procuratores, cuncta fermè & loca vrbis & membra populi gubernantes; hac ergo tantùm contenti ſumus ad exemplum ac teſtimonium cæterarum, vt intelligamus ſcilicet quales illæ fuerint ciuitates, quæ minores habuerunt probi officij procurationes, cùm viderimus qualis extiterit, vbi ſummi ſemper fuêre rectores.* Imò verò in quibuſdam ciuitatibus nulli magiſtratus, ſed defenſores tantùm fuerunt l. in hac. C. de donat.

Quæ cùm ita ſint, quî fieri potuit, vt in celeberrimis etiam ciuitatibus magna plerumque eſſet à Decurionibus ſolitudo? etenim nemo ferè niſi inuitus eorum ſe albo inſcribi patiebatur; multique, vt Curias ſubterfugerent, extorres & profugi ſolum vertebant; omnibus idem animus duram vitæ conditionem mutare, & ex infœlicibus illis tabulis nomen quoquo modo euellere. Eleganter Syneſius epiſt. xciij. ad Heſychium inferioris fortè Libyæ Præſidem: ὅτι δὲ ἐν τοῖς βουλευταῖς καὶ τὸν ἐμὸν ἀδελφὸν ἀξιοῖς ἀριθμεῖν. ἀλλ᾽ οὐκ ἀπαλείψεις τὴν οἰκίαν ἀπὸ τοῦ πονηροῦ βιβλίου, καὶ ἂν εἴ τι κατὰ συμφορὰν ἀρχαίαν περιείληφε γενόμενον τούτου δὲ, οὐ κατὰ Θεμιστοκλέα σέ φημι ποιεῖν. & ſtatim fratrem eam ob cauſam domo abeſſe conqueritur: ἀπόδος μοι τὸν ἀδελφὸν, ὃν εἰ μὲν δι᾽ αὐτὸ τοῦτο ἀποδημεῖ, θεὸς

οἶδε. vtrumque tamen conſtitutionibus principalibus prohibetur l. 14. 26. & 51. C. de decur. l. 1. ſi Curial. relict. ciuit. Nouell. Maioriani. tit. 1. Sed hæc mirari certè deſines, adeoque omnia ornamenta & beneficia quæ in Curias congeſta oſtendimus facilè deſpicies, & pro nihilo putabis, ſi ad ciuilia munera oculos conuertas, Decurioneſque ſeruos potiùs, quàm neruos Reipubl. fuiſſe intellexeris. quis enim liberos, aut ſui iuris cenſeat, qui nec res ſuas ſine decreto vendere, nec aliam prorſus vitæ ſortem optare poterant? ἐλεύθερός ἐστιν, ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὔτ' ἀναγκάσαι ἐστὶν, οὔτε κωλῦσαι, οὔτε βιάσασθαι. Equidem Decurionatum, & omnes Decurionibus delatos honores, licet à muneribus differre viderentur l. honores. de mun. & honor. onera quæ falſos honorum vultus induebant, libenter appello. Theophilactus in cap. xv. Marci: βουλευτὴς, ἀξίωμά τι ἦν. μᾶλλον δὲ λειτούργημα καὶ βάρος πολιτικόν. ὃ οἱ ἔχοντες, ἠναγκάζοντο τὰ τῆς ἀγορᾶς ἐπισκοπεῖν, καὶ πολλοῖς πολλάκις κίνδυνος ἐπῆλθεν ἐκ τούτου, διὰ τὴν τῆς ἀγορᾶς κακοπραγίαν. optimè; ſcitum enim,

*Jrarum cauſas, & ſumma fauoris*
*Annonæ momenta trahi.*

Qua ratione cautum arbitror Decuriones (ne qua eis in rei frumentariæ caritate fieret iniuria) cogi non debere vilius frumentum præſtare, quàm annona exigeret l. 8. ad municip. l. 5. de adminiſtr. rer.

ad ciuit.pertin.

Verùm munera omnia, quibus Curiæ & magiſtratus municipales opprimebantur, percenſere nec propoſitum nobis, nec valdè neceſſarium. Hæc inter præcipua Circenſes, & ſpectacula l.1.de mun. & hon. grauiſſima herclè, & quæ proprio muneris nomine appellantur l.122.de leg.1.l.36.de condit. & dem. l.1.C.Theod. de præt. l.1. C.Theod. ad l. Fab. nihil ardentiùs & maiore cum ſtudio populus vnquam expetiuit: dabant Principes, dabant Sacerdotes, dabant magiſtratus & priuati; ſed magiſtratibus editionum neceſſitas erat impoſita, non tantùm vrbanis, verùm etiam municipalibus l. 20. C. de decur. ideoque rectè magiſtratus municipalis διπλοῦς λειτουργός dicitur à Syneſio epiſt. xxxviij. τὸ μὲν τοι διὰ τὴν οὐσίαν, τὸ δὲ, δι' ἣν ἦρξεν ἀρχήν, ad easque populi voluptates & delicias inſtruendas excitantur primates ciuitatum l.1. de ſpectac. quarum vehementer interfuit præditos opibus habere Decuriones, vt hos, & alios huiuſmodi ſumptus, quos legitimos vocat Dion orat. xxxviij. ſuſtinerent. πάσαις μὲν ταῖς πόλεσι, μᾶλλον δὲ ταῖς μεγάλαις δεῖ μὲν τῶν πλουσίων, ἵνα καὶ χορηγῶσι, καὶ φιλοτιμῶνται ταυτὶ τὰ νενομισμένα δαπανήματα. Hinc fit, vt qui ob munificentiam in patriam facultates exhauſerant, alimenta è publico acciperent l.8.de Decur. *Leuanda eſt*, aiebat Valerianus apud Vopiſcum, *paupertas eorum hominum*,

*qui diu Reipublicæ viuentes pauperes ſunt, & nullorum magis.* Sed inſanos illos editores & munerarios Reipublicæ vixiſſe nemo ſanus exiſtimet.

Ciuilibus adiungo muneribus tributa, quæ vergente præſertim in ſenium Imperio, maximo ciuitatum ordinibus oneri fuiſſe negari minimè poteſt. *Reſpublica Romana vel iam mortua, vel certè extremum agens ſpiritum in ea parte, qua adhuc viuere videtur, tributorum vinculis, quaſi prædonum manibus, ſtrangulata moritur,* ait lib. iiij. de gubern. De. Saluianus, qui rem Romanam ſedibus ſuis propè conuulſam, & præcipitantem vidit. & profectò ea calamitate, quæ orbem Romanum peruaſerat, profligatæ ad perniciem, & perditæ ſunt Curiæ. Etenim omnes diſtributionum formæ à Decurionibus fiebant l. omnes. C. Theod. de his quæ adminiſtr. vel gerent. ita vt ſi quid deeſſet, ab his exigeretur l. 1. C. Theod. de priuileg. dom. Aug. Idcircò ſuſceptores qui ex Decurionum numero fuerunt l. 5. de exact. trib. l. 23. C. de decur. totius Curiæ iudicio & periculo eligebantur l. 8. de ſuſcept. Hi ſunt allecti, & eorum munus allegatio l. 11. 12. & 13. C. Theod. eod. tit. fortè Allectores, & allectura in Lugdunenſi inſcriptione: L. BESIO. &c. ALLECTORI. GALLIARVM. OB ALLECTVRAM FIDELITER ADMINISTRATAM. At vindices de-

*Pag. 375. in edit. Grut.*

mùm inſtituit Anaſtaſius edićt. Iuſtin. xiij. vt ęgros, labanteſque ordines recrearet & fulciret, aut potiùs compeſceret iniquas Decurionum exactiones, quas grauiter reprehendit Saluianus lib. v. de gubern. Dei. non hæc tamen Euagrij lib. iij. cap. xlij. & Nicephori lib. xvj. cap. xliiij. videtur ſententia, quibus ego temerè nolim aſſentiri: ſed Curias tandem Leo in Oriente funditùs euertit Nouell. xlvj. quas iam in Occidente oppreſſerat ipſa Imperij ruina. Hactenùus fuit quod de ciuitatum adminiſtratione breuiter dicendum putaui: omnia me ſubtiliter & copioſè exequi inſtituti ratio non patitur.

Vicis etiam (vt nihil intactum relinquatur) Curiales tribuuntur. Saluianus lib. v. de gubern. Dei: *Quæ ſunt non modò vrbes, ſed etiam municipia atque vici, vbi non quot Curiales fuerint, tot tyranni ſunt?* Nec alij ſunt primates vicorum & caſtellorum l. 13. C. Theod. de deſert. de Decurione limitis fit mentio in epiſt. cliij. Auguſtini. ſed vicorum Decuriones ex ciuitatibus petebantur quibus vici reſpondebant l. 3. de natur. lib. nec diuerſos ipſi à ſuis ciuitatibus magiſtratus habuerunt l. 3. de tut. dat. ab his. Sic demùm manſionibus Decuriones præponuntur ex ciuitatibus, in quarum ſunt territorio manſiones, vt innuit l. 21. C. Theod. de decur. Non defuerunt tamen Præpoſiti pagorum l. 2. de

ſuſcept. & arc.l.1. de erogat.milit. ann. l. 48. C. de decur. magiſtri pagorum Siculo Flacco in lib. de condit. agr. πάγαρχοι in edict.Iuſtin.xiij.Iſidorus Peluſiota epiſt. xcj. lib. ij. πάγαρχοι καλοῦνται παρὰ τισὶν, οἱ τῶν κωμῶν ἢ τόπων τινῶν ἄρχοντες. cuius vocabuli origo vetuſtiſſima eſt, & à Numę temporibus repetenda.

*COROLARIVM. MAGISTRATVS anima Reipublicæ. Tres celeberrimæ Imperij formæ. In his multa ab ipſis authoribus, & ab alijs Principibus innouata. Hæc Imperatorum poteſtas, à quibus prouinciæ ἄλλοτε ἄλλως diuidebantur. Pauci in politia Romana næui.*

## CAP. XI.

MAXIMVM Imperium parua tabula comprehendimus: τῶν κολλοσσιαίων μεγεθῶν (ait Philo) τὰς ἐμφάσεις καὶ ἡ βραχυτάτη σφραγὶς τυπωθεῖσα δέχεται. Non hîc tamen Apellis aut Parrhaſij manum agnoſces; & vetus illud ῥόδα βέβρεχε exclamabis. Vtinam oris egregij lineamenta ſuis coloribus exprimere, aut viuos arte politiſſima vultus ducere noſtræ eſſet facultatis: ſed nemo herclè nemo, niſi ingenio excellat, & plenum maxima rerum

rerum varietate pectus habuerit, hanc ſe effigiem vnquam perpolire, & abſoluere poſſe exiſtimet: ſatis admodùm mihi, ſi quod eximiæ pulchritudinis ſpecimen in rudi opere interlucere videatur. Equidem nullum corporis huius politici membrum prætermiſi; addidi etiam, vt Reſpublica quodammodò ſpirare videretur, ciuiles magiſtratus, qui re vera τίνες εἰσὶ ψυχαὶ τῆς πόλεων. Quocircà Romanorum politiam à malis magiſtratibus corruptam, & labefactatam non ineptè contendebat transfuga quidam apud Priſcum in excerpt. ἡ πολιτεία Ῥωμαίων ἀγαθή, οἱ δὲ ἄρχοντες οὐχ ὅμοια τοῖς πάλαι φρονοῦντες αὐτὴν διαλυμαίνονται. verùm tot præclara ſummorum Principum inſtituta vitijs Rectorum haud facilè deformata crediderim.

Tres celebrantur nobiliſſimæ Imperij formæ: prima Auguſto, altera Hadriano, tertia (quam hac Diatriba adumbrauimus) Conſtantino tribuitur: in his non tantùm ſucceſſores, ſed ipſi etiam authores multa pro arbitrio immutarunt. De Auguſta prouinciarum diuiſione ita Strabo lib. vlt. vbi opus ſuum concludit: ὧν εἰς μὲν τὰς Καίσαρος ἡγεμονίας καὶ διοικητὰς Καῖσαρ πέμπει, διαιρῶν ἄλλοτε ἄλλως τὰς χώρας, καὶ πρὸς τοὺς καιροὺς πολιτευόμενος. εἰς δὲ τὰς δημοσίας ὁ δῆμος στρατηγοὺς ἢ ὑπατικούς, καὶ αὗται δ᾽ εἰς μερισμοὺς ἄγονται διαφόρους, ἐπειδὰν κελεύῃ συμφέρον. Pluribus olim prouincijs vnus præfuit; ſuum quæque poſteà

nacta eſt Rectorem. Dio lib. liij. ταῦτα δὲ οὕτω κατέλεξα, ὅτι νῦν χωρὶς ἕκαστον αὐτῶν ἡγεμονεύεται. ἐπεὶ τό γε ἀρχαῖον καὶ ἐπὶ πολὺ καὶ σύνδυο καὶ σύντρια τὰ ἔθνη ἅμα ἤρχετο. auctus deinde ſeneſcente præſertim Imperio prouinciarum numerus: hinc omnes illæ diuiſiones in primas, ſecundas, tertias, & quartas; quas aut neceſſitas inuexit, cùm vnus multis vrbibus & populis regendis non ſufficeret; aut ambitio peperit, vt ad publicas adminiſtrationes plures admitterentur. Itaque ſi Rufum, Marcellinum, Zoſimum, & prouinciarum Indicem cum Notitia vtriuſque Imperij conferas, plurimas poſt ipſa Conſtantini tempora prouincias factas reperies; quod viris doctiſſimis qui hac de re luculentè ſcripſerunt planè perſpectum non videtur. Iuſtinianus, vt exempla quoque è libris noſtris petantur, prouinciarum numerum modò auxit, modò contraxit: tres enim Cappadocias, & quatuor Armenias, vt anteà diximus, conſtituit; ad cuius æuum refero quod prodidit Euſtathius in Dionyſ. τὴν Ἀρμενίαν καὶ Καππαδοκίαν, εἰς πολλὰς Καππαδοκίας καὶ Ἀρμενίας οἱ παλαιοὶ κατατέμνουσι. Sitifenſem Mauritaniam cum Cæſarienſi, aut potiùs cum Tingitana, Pontum Polemoniacum cum Helleſponto, & Paphlagoniam cum Honoriade coniunxit l. 1. de offic. Præf. pręt. Afr. Nouell. xxviij. & xxix.

Sed hæc Principum eſt authoritas; qui cùm mo-

derandi & regendi orbis à Deo poteſtatem, quaſi habenas quaſdam acceperint; id pro ratione temporum exequuntur quod è Republ. viſum fuerit. Quamobrem rectè Strabo lib. iiij. prouincias aliter φυσικῶς, καὶ ἐθνικῶς, aliter à Principibus diſtingui; & Principum diuiſiones, quia variæ & incertæ ſunt, parum ad Geographum pertinere cenſuit: ὅσα μὲν οὖν φυσικῶς διώρισται, δεῖ λέγειν τὸν γεωγράφον, καὶ ὅσα ἐθνικῶς, καὶ ὅτι ἂν ᾖ καὶ μνήμης ἄξιον. ὅσα δ' οἱ ἡγεμόνες πρὸς τοὺς καιροὺς πολιτευόμενοι διατάττουσι ποικίλως, ἀρκεῖ κἂν ἐν κεφαλαίῳ τις εἴπῃ. Taceo prouincias (quod alio loco attigimus) ex Proconſularibus ſępè in Præſidales, & ex Præſidalibus nonnunquam in Proconſulares mutatas fuiſſe; idque ab ipſo Auguſto, ex cuius inſtituto hęc prouinciarum diſtinctio originem ducit, factitatum docet Suetonius in Aug. cap. xlvij. obſeruandum tamen eſt temporariam permutationem ius prouinciæ non innouare l. nemo. 123. de reg. iur.

Iam in hanc Imperij potentiſſimi imaginem ſi quis acriùs aciem ingenij intendat, non deerunt quæ reprehendere fortaſſe poſſit. Diuiſum in quatuor prætoria Imperium, & conſtitutis militum magiſtris imminutam Præfectorum poteſtatem conqueritur Zoſimus lib. ij. cui temerè tamen non ſubſcripſerim: optarem certè (vt omnia eſſent apta, & inter ſe conuenientia) Proconſulibus, qui paribus auſpicijs cum Vicarijs Rempublicam admi-

niſtrant, integras potiùs dicœceſes, quàm prouincias tribui. Duas in eadem prouincia, vt in Bithynia metropoles τῆς πολιτείας εὐταξία non admittebat : hoc tamen exemplum Iuſtinianus ſequutus eſt Nouell. xxviij. & xxix. Curias certè & magiſtratus municipales munerum ciuilium oneribus obrui grauiter & acerbè ferendum eſt. Cætera moroſis & difficilibus, qui nihil ſatis affabrè factum putant, inueſtiganda relinquamus. Sit ita ſanè, fateamur quædam in Romana politia paulùm diſcrepare; quæ, vt in tibijs & fidibus fieri ſolet, non niſi à perito artifice intelligi, & animaduerti poſſint. Næ ille tamen ineptus & inſolens, qui ſe nimis ſeuerum & faſtidioſum hac in re iudicem præbuerit. Tu, Cenſor egregie, Rempubl. à Principe, vt imaginem ab optimo pictore, tu tot Imperij omnium maximi prouincias ad vnius Spartæ effigiem effingi poſſe exiſtimes? & Regem μιᾶς πόλεως, vt loquitur εὐφραδὴς Themiſtius, ἢ μέρος σμικρὸν Πελοποννήσου, καὶ πένητα μὲν αὐτον, πενήτων δὲ ἄρχοντα conferas cum Imperatore, ὃς πάσης χεδὸν ἐβασίλευσε γῆς καὶ θαλάττης δι' ὧν ἐπέκοψε μὲν Ρωμαίοις ἡ ἕως καὶ ἑσπέρα. Sed ageſis; compara cum Imperio Romano omnes Græcorum Reſpublicas & regna: hæc vt magnitudine & diuturnitate, ita certè inſtitutis, legibus, maieſtate, & ſplendore inferiora facilè deſpicies.

FINIS DIATRIBÆ PRIMÆ.

# PHILIPPI BERTERII
## PITHANON DIATRIBA SECVNDA.

# Eccleſiæ politia, vel de Patriarchis & Primatibus.

*DIVISVM OLIM JMPERIVM, non Eccleſia. Huius Princeps Sacerdos Pontifex Romanus. Dignitas Patriarcharum. Jgnis Jmperatori, & Patriarchæ præferri ſolebat. Tres primùm Patriarchales Eccleſiæ. Vopiſcus illuſtratur. Patriarchæ Judæorum. ἀποςολὴ tributum Judaicum. Epiphanij locus exponitur, reiecta veteri interpretatione. Patriarchales Eccleſiæ authoritate Apoſtolica in præcipuis orbis Romani ciuitatibus conſtitutæ. Ambitio Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui ex quarta ſede in ſecundam inuaſit. Quinta Patriarchæ Hieroſolymitani ſedes. Quo tempore inſtituta. Patriarchæ & Primates non dignitate, ſed authoritate æquales. Archiepiſcopi,*

*diœceſeôn Metropolitani, Principes, & Exarchi omnes appellati. Qui fuerint in Oriente, præcipitante Imperio, Archiepiſcopi. Extraordinarius Tyrenſis Epiſcopi Primatus. De poteſtate Patriarcharum, & Primatum. Nulli in Concilio Chalcedonenſi Patriarchatus inſtituti.*

## CAPVT I.

VERVM eſt profectò quod ab Iſidoro Peluſiota dictum memini δεινὸν ἐστὶ, καὶ δραστήριον τὸν τῆς φιλοτιμίας ἔρωτα, ὡς δεινῶς κρατοῦντα τοῦ ἀνθρωπίνου γένους. ſed ipſas etiam rebus diuinis addictas, & conſecratas mentes hoc veneno (quo nullum ſempiternus mortalium hoſtis habet præſentius) aliquando corrumpi, & contaminari potuiſſe maximè dolendum eſt. Incredibilem Epiſcopi Conſtantinopolitani ambitionem norunt omnes: dabat animos, ingenteſque ſpiritus adferebat nationi contentionis cupidiori quàm veritatis, ſplendor vrbis regiæ; quæ auguſto Romæ nomine ornata, eiuſque ſpolijs & honoribus cumulata ſenſim intumuerat. Sedenim quoties ad arma Vulcania ventum eſt, vanum illicò nouæ Romæ nomen, ſeu futilis glacies, ictu diſſiluit, & inuicta permanſit Pontificis Max. authoritas. Capitoli immobile ſaxum ſemper accolet Pater Roma-

nus,& dum hominum genus erit, ſanctis mundum reget imperijs. Quin nunc etiam Dei Opt. Max. beneficio immortali, in extremis terræ, Oceanique finibus ( vbi populi rerum domini nomen auditum nunquam fuerat ) clariſſimum Eccleſiæ Romanæ iubar effulſit.

Vnum erat primùm in toto orbe Romano Imperium, cuius author Auguſtus: ὁμαλίσαντος Αὐγούστου, inquit Origenes contra Celſum lib. ij. διὰ μιᾶς βασιλείας τοὺς πολλοὺς τῶν ἐπὶ γῆς. Sed Oriens tandem ab Occidente diuiſus eſt: quod ab Antonino & Geta priùs, vt ſcribit Herodianus, fruſtrà tentatum fuerat. Ex illo fluere, fractiſque viribus, & inciſis veluti neruis labi res Romana: quamobrem eleganter Andreas Cæſarienſis Epiſcopus in Apocalypſim: τὴν τῶν Ῥωμαίων βασιλείαν τῇ διαιρέσει, σφαγὴν τρόπον τινὰ ὑπομένουσαν, τὴν μοναρχίαν τε τεθεραπεῦσθαι δοκοῦσαν καὶ τὴν εἰκόνα Αὐγούστου Καίσαρος. Nec ob id tamen diuiſa eſt Eccleſia; quæ cùm vna ſit vnius fidei conſenſione, & religionis conſpiratione coniuncta, vnum quoque ſemper habuit ſummum Sacerdotem, Chriſti Vicarium, Petri ſucceſſorem, vrbis & orbis Epiſcopum.

Huic proximi Patriarchæ ( in quorum Pontifex ipſe numero eſt) ſed longo interuallo proximi. eorum tamen præcellens ſemper fuit dignitas: ἐγὼ καὶ βούλομαι, καὶ ἀνάγκη μοι θεῖα νόμον ἡγεῖσθαι, ταῦθ᾽ ὅτι ἂν ἐκεῖνος

ὁ θεῖνος θεοπίσῃ, ait de ſede Alexandrina Syneſius epiſt. lxvij. ſub qua mirabere proculdubiò Ægyptiacæ diœceſeos Epiſcopos, nec vi, nec ratione vlla cogi vnquam potuiſſe in Concil. Chalced. vt ſanctiſſimis eius decretis ſubſcriberent; quia damnato Dioſcoro Alexandriæ Epiſcopo, Patriarcham ſententiæ principem non haberent. *Petimus* (inquiunt illi act. iiij.) *veſtram ſublimitatem, & hanc ſanctam & magnam Synodum, vt miſereamini nobis, & expectetis noſtrum Archiepiſcopum, vt ſecundùm antiquam conſuetudinem illius ſequamur ſententiam: quia ſi extra voluntatem Præſidis noſtri aliquid facimus, ſicut præſumptores, & non ſeruantes ſecundùm canones antiquam conſuetudinem, omnes Ægyptiacæ regiones inſurgent in nos.* Verùm illuſtriora his ſubijcio: Imperatori ſolebat olim ignis præferri, res peruagata & vulgaris; addam ego, vt morem iſtum ſtrictim attingam, & prænunciam Principis aduenientis (quod obſeruatum nondum memini) fuiſſe lucernam. Corippus lib. ij. de Iuſtini ad circum aduentu:

*Prænuncius ante*
*Signa dedit curſor poſita de more lucerna.*

Atqui Patriarchis quoque (οὐκ ἔξι γέρας βασιλεῦσιν ἄλλο) faces præferebantur, vt author eſt Balſamo in reſponſ. de Patriarch. priuileg. qua de re verba faciens ſic ille Imperatori Patriarcham componit:

μόνοις

μόνοις τοῖς βασιλεῦσι καὶ τοῖς πατριάρχαις ὑπὸ τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος χάριτος, καὶ τῆς ἀρχαιοπαραδότου συνηθείας, καὶ ἀξίας, ἐπιφιλοτιμηθῆναι τοῦτο τὸ δίκαιον. omitto σταυροπήγια, ἐπιμανίκια, pallia, & cætera huiuſmodi, quæ ferè omnia tandem Metropolitanis etiam conceſſa ſunt.

Eccleſiæ verò Patriarchales tres tantùm primò fuerunt: Romana, Alexandrina, Antiochena: quò & videtur mihi reſpexiſſe Hieronymus in epiſt. ad Vigilantium: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ?* De Patriarcha Alexandrino meminit Hadrianus Imperator apud Vopiſcum in Saturnino, vbi turpes in Chriſtianos, & Iudæos calumnias congerit: *Ipſe ille Patriarcha, cùm Ægyptum venerit, ab aliјs Serapidem adorare, ab aliјs cogitur Chriſtum.* Sed hæc parum Alexandrino Chriſtianorum Patriarchæ conueniunt, quem propter muneris neceſſitatem in Ægypto, imò in ipſa etiam Alexandrina ciuitate aſſiduum fuiſſe oportuit: & vulgò forſan ignotum eo tempore, quid Iudęus à Chriſtiano differret. Itaque ſatius eſt Iudæorum Patriarcham hîc intelligere: nonne enim poterat ille (cuius ſedes & domicilium fuit Hieroſolymis) celeberrimam aliquãdo inuiſere vrbis copioſiſſimæ Synagogam, in qua tot centena Iudæorum millia fuiſſe prodidit Philo? Parebant certè Patriarcharum iuſſis totius orbis Synagogæ; ita vt tributum eis exſoluerent l. vlt. C. Theod. de

Iud. Epiphanius lib. I. *συμβέβηκε Ἰούδαν τὸν Πατριάρχην γέρας τῷ Ἰωσήπῳ τῆς ἀποστολῆς δοῦναι τὴν ἐπικαρπίαν.* fallitur interpres, qui *γέρας* ſimul & *τῆς ἀποστολῆς ἐπικαρπίαν*, præmium & remunerationem apoſtolatus reddidit: nam *ἀποστολὴ* Iudæorum tributum eſt, quod à Ioſepho percipi (ſic enim *ἐπικαρπίαν* verto) voluit Patriarcha; atque ideò hæc ſtatim Epiphanius: *καὶ μετ᾽ ἐπιστολῶν οὗτος ἀποστέλλεται εἰς τὴν Κιλίκων γῆν, ὃς ἀνελθὼν ἐκεῖσε ἀπὸ ἑκάστης πόλεως τῆς Κιλικίας τὰ ἐπιδέκατα καὶ τὰς ἀπαρχὰς παρὰ τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Ἰουδαίων εἰσέπραττεν·* ſed & *ἀποστολὴν* tributum fuiſſe docet Iulianus in epiſt. ad Iudæos: *τὸν ἀδελφὸν Ἴουλον τὸν αἰδεσιμώτατον Πατριάρχην παραινέσαι, καὶ τὴν λεγομένην παρ᾽ ὑμῖν ἀποστολὴν κωλυθῆναι.* deportationis functionē explicat Theodoſius in l. 14. C. Theod. de Iud. cuius tributi Quęſtores Apoſtoli vocabantur d. l. 14. & 18. eod. tit. horum munus fuit Patriarchæ mandata exequi: *heriles vel dominicos Apoſtolatos* dixit Aymo lib. j. ſacr. hiſt. cap. v.

Tres autem illæ ſedes ampliſſimæ, quarum prima eſt Romana, ſecunda Alexandrina, tertia Antiochena, authorem habent Apoſtolici ordinis Principem *κρηπῖδα καὶ βάθρον τῆς ἐκκλησίας·* omnes vtique in primarijs cîuitatibus, quo illuſtrior eſſet earum dignitas, collocatæ: nam vt Roma lux orbis terrarum primas ſemper tenuit,

*Prima vrbes inter diuûm domus aurea Roma.*

ita Alexandria ſecundo, Antiochia tertio quondam loco, cùm armis opibuſque Romanum vigeret Imperium, poſitæ ſunt. De Alexandria, quæ non ſolùm κατ' ἐξοχὴν πόλις, ſed μεγαλόπολις appellata eſt, hæc Dion Chryſoſtomus in orat. xxxij. ad Alexandrinos: ἡ γὰρ πόλις ὑμῶν τῷ μεγέθει, καὶ τῷ τόπῳ, πλεῖστον ὅσον διαφέρει, καὶ περιφανῶς ἀποδέδεικται δευτέρα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον. & Ariſtides in orat. de vrb. auguſtæ laud. vbi Romanos ſic alloquitur: ὁ δὲ ( magnus Alexander ) τὸ μόνον ἄξιον τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἔργον, τὸ μνημεῖον κατέλιπε, πρὸς Αἰγύπτῳ τὴν ἐπώνυμον πόλιν, ταύτην δὲ ποιῶν ὑμῖν ᾤκισεν, ὅπως ἔχητε, τὸ τῆς μεγίστης μετὰ τὴν ὑμετέραν κρατῆτε. Antiochia, quæ πόλις καλὴ ab Athenæo dicitur, & præclarum Θεουπόλεως à Iuſtiniano nomen accepit, apertè tertiam facit Ioſephus lib. iij. de bell. Iud. cap. iij. Ἀντιόχεια ἡ μητρόπολίς ἐστι τῆς Συρίας, μεγέθους ἕνεκα, καὶ τῆς ἄλλης εὐδαιμονίας, τρίτον ἀδηρίτως ἐπὶ τῆς ὑπὸ Ῥωμαίοις οἰκουμένης ἔχουσα τόπον. ſed vix tamen illa Alexandriæ conceſſit. de vtraque ita Herodianus lib. iiij. τῇ τε βασιλείᾳ τῇ αὐτοῦ αὐτάρκη ἔσεσθαι ὑποδοχὴν ὁ Γέτας ἔλεγεν ἢ τὴν Ἀντιόχειαν, ἢ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, οὐ πολύ τι τῆς Ῥώμης, ὡς ᾤετο, μεγέθει ἀπολειπούσας· pares, eiuſdemque honoris ſocias ſtatuit Auſonius,

*Ambarum* (inquit) *locus vnus.*

verùm his anteponit Carthaginem,

*quæ Romam vix paſſa priorem.*

Demùm περὶ δευτερείων, vt ait Herodianus lib. vij.

cum Alexandria certabat; at nullus tamen inter Patriarchas Carthaginenſi Epiſcopo locus: quod cùm ita ſit, tu fac exiſtimes non ampliſſimam ei ciuitatem, & tanto ſacerdotio dignam, ſed Apoſtolicam defuiſſe authoritatem.

Poſteà nihilominùs Alexandrinus & Antiochenus in tertiam & quartam ſedem reiecti ſunt, vbi in ſecundam inuaſit Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſola vrbis regiæ dignitate ſubnixus; quem exploratum eſt occultè primùm, mox luce, & palàm nihil non molitum, vt quem arripuerat honoris gradum, retineret. Præcipuum autem noui huius Patriarchatus præſidium, & firmamentum in Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſis Concilij decretis ſitum eſt. Tunc primùm cognita τὰ τῆς νέας Ρώμης πρεσβεῖα· quæ vt approbaret maximus Leo, ipſius etiam Synodi precibus induci nunquam potuit. Nimirum præſenſerat vir ſapientiſſimus & planè diuinus, quantum detrimenti noua hæc dignitas nomini Chriſtiano eſſet allatura: hinc arroganter vſurpatum Oecumenici nomen. De Sergio Patriarcha Conſtantinopolitano ſic loquutus eſt Theophylactus Simocatta in dialogo quem hiſtoriæ Mauritaniæ præpoſuit: οὐκ οἶδα τὸν μέγαν τῆς ἁπανταχόθεν οἰκουμένης ἀρχιερέα καὶ πρόεδρον; quod Anna Alexij Comneni Imperatoris filia ineptè (nihil grauius dicam) ad Synodum Chalce-

donenſem retulit: *δεδώκασιν οἱ ἀνέκαθεν βασιλεῖς, τὰ πρεσβεῖα τῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, καὶ μάλιστα, ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος, εἰς περιωπὴν πρώτην τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἀναβιβασαμένη· τὰς ἀνὰ τὴν οἰκουμένην διοικήσεις ἁπάσας, ὑπὸ τοῦτον ἐποίησεν.* Sed miſſa faciamus omnia hæc delirantium Græcorum ſomnia, apud quos nouæ Romæ maieſtas viam quidem aperuit ambitioni facilem; ſed mirum, quantum ad authoritatem huius Patriarchatus amplificandam adiumenti attulerit iacentis, & proſtratæ Italiæ calamitas. Quid enim ad Thraciæ diœceſim pertinebat Sicilia Italiæ prouincia? quam Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubiectam aliquando fuiſſe ſcribit Balſamo in can. 2. Synodi primæ Conſtantinopolitanæ. an quia Iuſtinianus, cùm excitatum in Italia belli incendium extingui, & influentes barbararum gentium copiæ ampliùs reprimi non poſſent, prouocationes à Siciliæ Iudicibus, quæ ad Præfectum prætorio Italiæ dari ſolebant l. 27. C. Theod. de appellat. Quęſtori in vrbe regia delegauerat? vt oſtendit Nouell. lxxv. cuius epitomen edidit Iulianus; ſed nihil ideò in Eccleſiaſtica politia debuit immutari. Magna ſanè fuit eorum audacia, qui Conſtantinopolitani Patriarchæ nomen in Conſtantini donatione intexere, & in catalogo Byſantinorum Epiſcoporum de Metrophane hæc ſcribere auſi ſunt: *ὃς ἐπὶ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου γέγονε*

παρ' αὐτοῦ Πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως. quod Zonaras, dum Græcis ſuis nimium fauet, ſcribere non dubitauit. ridiculum eſſet in refellendo tam perſpicuo mendacio tempus impendere.

Quinta eſt Hieroſolymitani Patriarchæ ſedes, de qua ſic ſtatuo ſanctiſſimæ ciuitatis Epiſcopum præcipuo quodam honore antiquitùs ornatum; ita tamen vt Cæſarienſis Epiſcopus ( tanta in mutandis Eccleſiæ τύποις veterum fuit Patrum religio)omnia Metropolitani iura retineret:quod Synodus Nicæna quoque approbauit. ſed peruicit tandem fauor Eccleſiæ antiquiſſimæ,quæ à Theodorito ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν μήτηρ, & à Iuſtino Imperatore in epiſt.ad Hormiſdam,*mater Chriſtiani nominis* appellatur:nam ex ea reliquę omnes Eccleſię per orbem diffuſæ latiſſimè manarunt.Itaque ſerò, & poſt multos labores Hieroſolymitano Epiſcopo, vt in actis Concilij Chalcedonenſis legimus, patriarchatus honos partus,& quæſitus eſt; ſed repugnante ſemper acerrimo propugnatore Concilij Nicæni Leone magno, vt illius docent epiſtolæ. Quapropter viri quidam doctiſſimi in ea ſunt ſententia, vt ante quintam Synodum, quæ Iuſtiniani tempore coacta eſt, hanc dignitatem ſtabiliri, & confirmari non potuiſſe exiſtiment. teſtem habent Gulielmum Tyriũ lib.xiiij. cap. xij. Tyrij locus ijſdem omnino verbis deſcriptus eſt in prouinc.Rom.

Hos igitur quinque Patriarchas Eccleſia demum admiſit, inter quos terrarum orbem diuiſum cenſet Balſamo in can. Apoſt. 31. ſed videndum eſt, ne dum hac via immenſam ille Patriarchæ Conſtantinopolitani poteſtatem extruit, Primates ab Eccleſiæ politia ſubmoueat, quos Patriarchis non dignitate quidem, ſed authoritate æquales fuiſſe conſtat, vt Gratianus diſtinct. xcix. obſeruauit. Omnes Archiepiſcopi vocantur à Iuſtiniano Nouell. xiij. & cxxiij. Balſamo : Ἀρχιεπίσκοποι ἀρχαὶ δηλονότι καὶ κεφαλαὶ πολλῶν Ἐπισκόπων, ταυτὸν δὲ ἐστὶν εἰπεῖν, πατέρες καὶ Πατριάρχαι. quanquam hoc nomen ipſis etiam Metropolitanis conceſſum fuerit, quos & Primates aliquando dici certum eſt can. Apoſtolorum 34. cap. j. Concil. Taurinenſis can. 1. 9. quæſt. 3. Illud nouum certè & inſolens, Archiepiſcopos in Oriente extremis Imperij temporibus eos fuiſſe, qui nullis Epiſcopis præpoſiti, reliquos eiuſdem prouinciæ Epiſcopos ſolo honore antecedebant, vt ex quibuſdam poſterioris æui conſtitutionibus, & Eccleſiaſticis deſcriptionibus dignoſci poteſt. Balſamo in reſponſ. de Patriarchis: ὁ δὲ Γοτθίας οὐ καλεῖται Ἀρχιεπίσκοπος, ὡς ἄρχων Ἐπισκόπων καὶ προβολεύς, ἀλλ' ὡς ἀρχὴ Ἐπισκόπων. ὡρίσθη γὰρ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων, τὰς μὲν ἐχούσας διοικήσεις πολλὰς πόλεις, ὑπὸ Ἐπισκόπων κυβερνωμένας παρὰ μητροπολιτῶν διεξάγεσθαι, οὓς καὶ προέδρους οἱ κανόνες ὀνομάζουσι. τὰς δὲ μὴ ἐχούσας ὑφ' ἑαυτὰς

πόλεις τινὰς ὑπὸ Επισκόπων ἰθυνομένας, παρ' Αρχιεπισκόπων ἱερατεύεσθαι. ὥστε μειονεκτεῖν μὲν αὐτὰς τῶν μητροπόλεων, ὑπερτερεῖν δὲ τῶν Επισκόπων. Sed tædet me tam ſæpè illius temporis memoriam renouare, quo nullus antiquæ Reipublicæ, & Eccleſiæ color enituit.

Patriarchis porrò & Primatibus, quos hîc coniungo, integræ olim erant attributæ diœceſes l. 29. de Epiſcop. aud. ideoque diœceſeôn Principes vocantur in actis Concilij Chalcedonenſis: *Sequutus eſt Princeps Orientis Deo amantiſſimus Joannes Epiſcopus Antiochiæ.* & diœceſeôn Metropolitani in actis Synodi Epheſinæ: παρόντος ἁγιωτάτου καὶ θεοφιλεστάτου Ιωάννου Επισκόπου τῆς Αντιόχειων μητροπόλεως τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως. quibus conſentiens Leo IX. epiſt. iij. *Noueris ergo proculdubiò* (inquit) *quia poſt Romanum Pontificem primus Archiepiſcopus, & totius Africæ Metropolitanus eſt Carthaginenſis Epiſcopus.* Denique & Exarchi ſunt in eodem Concilio Chalcedonenſi: *Rurſus ab Exarcho Orientis diæceſis euocatus eſt.* & in can. 9. eiuſdem Synodi: καταλαμβανέτω τὸν Εξαρχον τῆς διοικήσεως. tametſi nomine Exarchi quoque appelletur Tyri Epiſcopus in viij. Synodo, his verbis: ὅρος Θωμᾶ μητροπολίτου Τύρου πρεσβεύοντος τοῦ ἐξάρχου, τοῦ τοποτηρητοῦ τῆς Θεουπόλεως. quem tamen in numero Patriarcharum, aut Primatum non haberi ſatis compertum eſt. Sed profectò diem ſuum tunc obierat Antiochenus

Patriarcha vt Synodi illius actio prima teſtatur; quandiu autem ſuo carebat Antiſtite Orientis dioeceſis, tandiu Primatis dignitatem Tyrenſis Epiſcopus ſuſtinebat; quod more antiquo receptum affirmat Tyrius lib.xiiij. cap. xij.

Cæterùm cùm in priſca illa tempora mentis aciem intendo maximam equidem Patriarchæ, ſeu Primatis video in Metropolitanorum, & nonnunquam in Epiſcoporũ etiam creatione poteſtatem. A Metropolitano ad eius tribunal prouocari ſolebat, ille Iudices dabat, de cauſis Metropolitanorum cognoſcebat, Synodos ex omnibus ſubiectæ dioeceſeos prouincijs vocabat; nihil denique magnum & arduum erat quod Patriarchæ nutu & arbitrio non gubernaretur. Errant vehementer qui nouos in Concilio Conſtantinopolitano primo patriarchatus inſtitutos crediderunt: imprudentes fefellit Socrates lib. v. ſed totam rem aperit Sozomenus lib. vij. cap. ix. cuius ſententia Theodoſij conſtitutione in l. 3. C. Theod. de fid. Cathol. liquidò confirmatur. Verùm & Metropolitanos in quibuſdam dioeceſibus ſuperiorem illam poteſtatem non agnouiſſe monet Balſamo in can. ij. Synodi primæ Conſtantinopolitanæ: nec enim neceſſe eſt vt quælibet dioeceſis Primatem habuerit.

*NVLLA IN ORIENTIS IMperio diœceſis ſine Patriarcha, aut Primate. Epiſcopus Antiochenus Orientis Patriarcha. Eius cum Cypri Metropolitano renouata ſæpiùs contentio, & extincta. Cedrenus reprehenditur. Nicephori allucinatio. Conſtantia Metropolis Cypri. Error Balſamonis, qui viris etiam doctiſſimis impoſuit. Metropolitanus Cypri Epiſcopus αὐτοκέφαλος. Tres Palæſtinæ Antiocheno ademptæ, & Hieroſolymitano Patriarchæ attributæ. Alexandrinus Epiſcopus Ægypti Patriarcha. Refellitur Tyrius. Epiſcopus Conſtantinopolitanus Thraciæ Patriarcha. Extraordinarium eius in Aſianam & Ponticam imperium. Tentatum ab illo etiam Illyricum. Aſiana tamen & Pontica ſuos Primates habuerunt. Theſſalonicenſis Epiſcopus Macedoniæ, & Daciæ Primas. Iuſtinianæ primæ Epiſcopus Daciæ tandem eſt præpoſitus. Eccleſiaſtici τύποι in Orientis Imperio deformati.*

## CAP. II.

OSTENDAM tamen nullam in Orientis Imperio diœceſim fuiſſe quæ Patriarcham demùm, aut Primatem non

habuerit,iſtamque ſacræ politiæ partem obſcuram adhùc, & minùs cognitam patefacere, & illuſtrare dehinc conabor. Sic commodiſſimè eorum refelletur ſententia, qui Præfectorum prætorio, à quibus plures regebantur diœceſes,& Patriarcharum ſedes eaſdem fuiſſe arbitrantur. Sed vt Eccleſiaſticæ,ciuileſque formæ inuicem lumen aliquod accipiant,à via,quam ſuperiori Diatriba ſum ingreſſus, non diſcedam.

Septem ſunt igitur in Oriente diœceſes ; in quarum primam ipſius Orientis nomine inſignem, clariſſimis Concilij Nicæni , Conſtantinopolitani primi & ſecundi monumentis teſtatam, atque conſignatam Antiocheni Patriarchæ poteſtatem nemo non videt. Itaque rectè Epiſcopum Hieroſolymitanum reprehendit Hieronymus in epiſt. ad Pammachium lxj. quòd ad Alexandrinum potiùs, quàm ad Antiochenum Patriarcham ſcripſiſſet: *Si procul* (ait) *expetendum iudicium erat, Antiochiam potiùs literæ dirigendæ :* nam Palæſtina Orientis prouincia eſt. Quare & Cyprum, cuius Conſularis Præfecto Orientis paruit,Antiochenus Patriarcha pro ſua vindicabat:pars enim Syriæ fuit quondam Cyprus : ſed venit vi Pontus, & continenti (ſi Plinio fides eſt) latus abſcidit. Patriarcha tamen, vt nobiliſſimæ prouinciæ conſuleret, nonnihil iam olim de iure ſuo remiſerat propter naui-

gationis, præſertim hybernæ, vt conijcio, periculum: eoque pertinet 37.can.Synodi Nicænæ in Codice Arabico. Nec dubium eſt ſanè quin temporis difficillimi quo clauduntur maria, in ciuili quoque illius Inſulæ adminiſtratione rationem habuerint Imperatores l. 6. de offic. rect. prou. Nouell. l. Ex hac ſemita lata deinceps ad libertatem patuit via, minuique ſenſim illic cœpit authoritas Patriarchæ: nam cùm longa annorum ſerie obſeruatum accepiſſent Epheſini Concilij Patres, vt inconſulto Patriarcha Metropolitanus à Prouinciæ Epiſcopis eligeretur, antiquæ conſuetudini ſuffragati ſunt, vt Synodi illius decreto probatur. Attamen cùm rerum potiretur Zeno vetus contentio rurſus inſtaurata, verùm ſtatim ſedata eſt; quod memoriæ prodidit Antonius Monachus in orat. de Barnabæ laudib. Errat Cedrenus in Zenone: ἐκτότε, ait, γέγονε μητρόπολις ἡ Κύπρος, καὶ τοῦ μὴ τελεῖν ὑπὸ Αντιόχειαν, ἀλλ᾽ ὑπὸ Κωνσταντινόπολιν. Etenim quis nullam ante Zenonis Imperium in celebri prouincia metropolim extitiſſe crediderit? Cyprus herclè Antiocheno Patriarchæ eripi, vt in Conſtantinopolitani poteſtatem redigeretur, ſine ſumma iniuria non potuit. Sed hæc diligentiùs à Nicephoro cap.xxxvij.lib.xvj. explicantur: ait enim Cypri metropolim ſui planè iuris factam, & ab Orientis diœceſi ſeparatam: verùm allucinatur etiam ille;

quia Anaſtaſio aſcribit quod Zenoni tribuendum erat. Mox ad tuendam Cypri libertatem & Iuſtiniani (vt ipſe Nicephorus teſtatur) authoritas acceſſit. Quocircà cùm aliquot poſt annos Metropolitanus Cypriorum Epiſcopus Cypro à barbaris pulſus nouam Iuſtinianopolim Helleſponti ciuitatem ſeſe contuliſſet, ea in vrbe, & in tota prouincia libertatem illam retinuit quam Concilio Epheſino in ipſa Cypro conſequutus fuerat can. xxxix. ſextæ in Trullo : ὥστε τὴν νέαν Ἰουστινιανούπολιν ἔχειν τὸ δίκαιον τῆς Κωνσταντιέων πόλεως. quo in loco legit Balſamo τὸ δίκαιον τῆς Κωνσταντινουπόλεως. Siccine verò celeberrima regiæ vrbis πρεσβεῖα concedi ſolebant? hæret profectò ipſe Balſamo, & quò ſe vertat non habet. Euellendus error qui omnibus ferè magni etiam nominis, & ſummæ eruditionis viris impoſuit: aperta enim & lucida eſt Synodi ſententia, qua in nouam Iuſtinianopolim transferuntur Conſtantiæ Cypriorum metropoleos priuilegia (ita enim antiqua Salamis in Epheſina & ſexta Synodo vſurpatur: Κωνστάντια, ait Stephanus, ἡ Κύπρου Σαλαμίς.) verùm poſteà, excuſſo in tota illa Inſula barbaræ dominationis iugo, priſtinum denuò ius recuperauit Cypriorum Metropolitanus, quem Balſamo αὐτοκέφαλον appellat in reſponſ. de Patriarch. ἀνὰ μόνων τῶν αὐτοκεφάλων Ἀρχιεπισκόπων τῆς Βουλγαρίας φημὶ, καὶ τοῦ Κύπρου. & hac potiſſimùm ratione

Cyprus ab Innocentio III. Pont. Max. Patriarchæ Conſtantinopolitano denegari debuit cap. 8. de maiorit. & obed.

Tres etiam Palæſtinæ, prima, ſecunda, & ſalutaris aliquando Patriarchæ Antiocheno ademptæ, & Hieroſolymitano aſſignatæ ſunt, vt noua ex his diœceſis fieret: qua de re illuſtris locus in Concil. Chalced. act. vij. *Maximus reuerendus Epiſcopus Antiochiæ Syriæ dixit: Placuit mihi & reuerendo Epiſcopo Iuuenali, propter multam contentionem per conſenſum, vt ſedes quidem Antiochenſium maximæ ciuitatis beati Petri habeat duas Phœnicas, & Arabiam; ſedes autem Hieroſolymorum habeat tres Palæſtinas.* & ſtatim ſubſequitur Synodi approbatio; quod non prætermiſit Nicephorus in cap. vlt. lib. xv. Itaque Petrum Epiſcopum Hieroſolymitanum tribus longo poſt tempore præfuiſſe Palæſtinis docent acta Concil. Hieroſolymitani hoc loco: *Poſt conſulatum Flauij Belliſarij glorioſiſſimi xiij. Cal. Octobris indict. xv. in colonia Ælia metropoli & Hieroſolymis, præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo Patriarcha Petro, aſſiſtentibus ſacerdotio ſuo ſanctiſſimis Epiſcopis trium Palæſtinarum.* Супereſt & in act. v. Synodi Conſtantinop. ſub Mæna, epiſtola Ioannis Epiſcopi Hieroſolymitani, & Synodi trium Palæſtinarum ad Ioannem Conſtantinopolit. Atque ita duo in

Orientis diœceſi Patriarchæ inſtituti ſunt: ab illa tamen prouinciarum diuiſione poſteà diſceſſum, ſi Balſamoni credimus in can.7. Concil. Nicæni,nec repugnat Tyrius lib. xiiij.

Ægyptus ſecunda Præfecti Orientis diœceſis, Patriarcham habuit Alexandrinum, cuius poteſtas vj. can. Synodi Nicænæ in Ægyptum, Libyam, & Pentapolim(quibus verbis omnes Ægypti prouincias comprehendi oſtendimus) longè lateque protenditur; quod claret apertiùs ex hoc Epiphanij loco hæreſ. lxviij. τοῦτο γὰρ, ἔθος ἐστὶ τοῦ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Ἀρχιεπίσκοπον, πάσης τε Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος, Μαρεώτου τε καὶ Λιβύης, Ἀμμωνιακῆς Μαρεώτιδός τε καὶ Πεντοπόλεως, ἔχειν τὴν ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν. ſed Tyrius lib. xiiij. cap. xij. neſcio qua fama, & veteris cuiuſdam ſcripti authoritate permotus, duas ex Ægyptiaca diœceſi prouincias Hieroſolymitano Patriarchæ traditas exiſtimauit: *Subſtraxerunt* (inquit) *Antiocheno Cæſarienſem, & Scythopolitanum metropolitanos; Alexandrino verò Rubenſem, & Berytenſem.* Extat in poſtrema Conciliorum editione vetus quintæ Synodi fragmētum Tyrio,vt opinor,non incognitum; ex quo hæc videntur deprompta. At certè Ruba à Ptolemæo in Syria ponitur, & Berytum Phœnices Libani metropolim eſſe conſtat. Syria autem & Phœnice Orientis prouinciæ omnibus notæ ſunt. Nihil igitur ab Ægyptiaca Alexandrini

Patriarchæ diœceſi accepit Hieroſolymitanus: quod ſi ita eſt, non temerè Tyrio & veteri huic fides ſcripto adhibenda.

Aſiana, Pontica, & Thracia prætorio Orientis etiam aſcribuntur; Thracia Conſtantinopolitani Patriarchæ diœceſis eſt: verùm ille fines ſuos in Aſianam, & Ponticam promouit. Eò ſpectat, vt opinor, quod à Theodorito ſcriptum eſt lib. v. cap. xxviij. Chryſoſtomum, cùm Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ gubernacula tractaret, in eas quoque diœceſes aliquam curæ & ſollicitudinis partem deriuaſſe: ταύτην ἐποιεῖτο τὴν προμήθειαν, οὐ μόνον ἐκείνης τῆς πόλεως, ἀλλὰ καὶ τῆς Θρᾴκης ἁπάσης, καὶ τῆς Ἀσίας ὅλης, καὶ μέντοι καὶ τὴν Ποντικὴν τούτοις κατεκόσμει τοῖς νόμοις. quod confirmat quoque hic Concilij Chalcedonenſis locus act. xj. *Philippus reuerendus Preſbyter Conſtantinopolitanæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ dixit: Sanctæ memoriæ Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus quindecim Epiſcopos depoſuit profectus in Aſiam, & pro eis alios ordinauit.* Nec verò Conſtantinopolitani Patriarchæ votis defuit Concilij illius aſſenſus, cuius vltimo can. hæc perſcripta ſunt: ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς, καὶ Ἀσιανῆς, καὶ Θρᾳκικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς Ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ὑπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. Illyricum etiam nouus Patriarcha ſuo

ſplen

ſplendore perſtrinxit l. 6. de ſacroſ. Eccleſ. Sed & alia ſunt non minùs inſolentis potentiæ veſtigia in l. 29. de Epiſcop. aud. & in can. 9. & 17. Concilij Chalcedonenſis. Nunquam conſiſtit ambitio; celſis plerumque, & elatis ingenijs inſidet. *Si cadendum eſt, cælo* (vt ait ille) *cecidiſſe velint.*

Verùm ſuos, aut volente, aut inuito Patriarcha Conſtantinopolitano, Primates tandem Aſiana & Pontica aliquando nactæ ſunt, quarum metropoles Epheſum, & Cæſaream alibi indicauimus. Vtrumque Epiſcopum, Epheſinum & Cæſarienſem honore illo functum probant duæ ſextæ Synodi ſubſcriptiones, quas ſubijciam: *Philalithes indignus Epiſcopus Cæſareæ magnæ ciuitatis primæ Cappadociæ prouinciæ, & primatum habens Ponticæ diſpenſationis.* & ſtatim: *Theodorus miſericordia Dei Epiſcopus Epheſiorum metropolis Aſianæ prouinciæ, & primatum habens Aſianæ diſpenſationis.* Atque ideò mirum non eſt Epheſinum Epiſcopum ante metropolitanos conſediſſe, vt ex hoc veteris cuiuſdam epiſtolæ loco addiſcimus *Epiſcopus Epheſinus pro tanti Apoſtoli & Euangeliſtæ* ( Ioannis) *memoria, cæteris Metropolitanis in Synodis honorabiliorem locum obtinet.*

Macedonia & Dacia, quas Præfectus Illyrici adminiſtrauit, duæ poſtremæ Orientis diœceſes; vnum tantùm ſuſpexerunt Primatem, Theſſalo-

nicæ Epiſcopum; ex quo non mirum ſi plures ad eum ex tot prouincijs Clerici confluerent, vt patet ex can. 16. Synodi Sardicenſis: Αέτιος Επίσκοπος εἶπεν· οὐκ ἀγνοεῖτε ὁποία καὶ πηλίκη τυγχάνει ἡ τῶν Θεσσαλονικέων μητρόπολις· πολλάκις τοιγαροῦν εἰς αὐτὴν ἀπὸ ἑτέρων ἐπαρχιῶν πρεσβύτεροι, καὶ διάκονοι παραγίνονται. veteris illum Epiri, & alijs etiam Illyrici Metropolitanis præfuiſſe facilè colligas ex magni Leonis epiſt. lxxxiiij. nec parùm facit ad dignitatem eius illuſtrandam quod eſt in actis Synodi primæ Nicænæ apud Gelaſium: Αλέξανδρος Θεσσαλονίκης διὰ τῶν ὑπ' αὐτὸν τελουμένων, τῆς κατὰ Μακεδονίαν πρώτην καὶ δευτέραν, σὺν ὅλῃ Ελλάδι, τῆς τε Ευρώπην πᾶσαν Σκυθίαν ἑκατέραν, καὶ τῆς κατὰ τὸ Ιλλυρικὸν ἁπάσης Θεσσαλίαν τε καὶ Αχαΐαν. quæ verba etiam primatus Theſſalonicenſis antiquitatem videntur aſſerere. Quod verò à Iuſtiniano Nouell. xj. dictum legimus: *Theſſalonicæ Epiſcopum aliquam ſub vmbra præfecturæ meruiſſe prærogatiuam.* ad Pannonias, & alias pertinet Illyrici Occidentalis prouincias, quæ nondum in Attilæ ditionem venerant: eam enim olim ciuitatem nos iam ſuprà totius Orientalis Illyrici metropolim fuiſſe demonſtrauimus: nec ius hoc ei antè ademptum, quàm Iuſtinianæ primæ Epiſcopus, impetrato Archiepiſcopi ſeu Primatis apice, omnes Daciæ prouincias obtinuit citata Nouell. xj. dictus propterea Ιλλυριῶν Αρχιερεὺς à Procopio orat. iiij. vbi ſcitè vrbis

illius amplitudinem ita prædicat: πόλις ἁπλῶς μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος, καὶ οἷα τῆς χώρας ἁπάσης μητρόπολιν εἶναι. πρὸς δὲ καὶ τὸν Ιλλυριῶν Αρχιερέα διακεκλήρωται, τῶν ἄλλων πόλεων αὐτῇ ἅτε προφέρτῃ τὸ μέγεθος οὔσῃ ὀξισαμένων.

Atque hæ fuerunt in toto Oriente Patriarcharum & Primatum ſedes: manſit ſupremis Imperij temporibus Aſiæ primatus; reliqui omnes deformati, vt comperio ex Notitia Eccleſiaſtica apud Curopalatam, cuius hæc ſunt: μητροπολίτης Καισαρείας Καππαδοκίας, ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος πάσης ἀνατολῆς· ὁ Εφέσου, ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος πάσης Ασίας ὁ Ηρακλείας, πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος πάσης Θράκης καὶ Μακεδονίας. Sed illius infœlicis ſæculi quo Eccleſiæ, & Imperij maieſtas omnis conciderat, iucunda nulla poteſt eſſe recordatio.

*DE PONTIFICIS MAXIMI poteſtate. Quæ ſit ſacra Synodus in Nouell. Theod. & Valentin. de Epiſcop. ordinat. Roma τῆς εὐσεβείας μητρόπολις. Epiſcopi ab Eccleſijs ſuis deiecti, à Pontifice Max. reſtituti. Hunc ſummum Eccleſiarum omnium Rectorem priſcæ Synodi agnouerunt. Vices eius obire magnum in Oriente decus. Appellationes ad Pontificem Max. ab Epiſcopo Conſtantinopolitano appro-*

*batæ. Relationes ad ſedem Apoſtolicam antiquitùs receptæ. Can. vj. Concil. Nicæni, & Rufini interpretatio illuſtratur. Alia Patriarchæ, alia Pontificis diœceſis. Reſcriptum Innocentij III. de Patriarchæ Conſtantinopolitani electione, explicatur.*

## CAP. III.

ORIENTEM ergo percenſuimus; poſthæc eadem eſt celeritate percurrenda orbis Romani pars altera, dignitate & gloria longè præſtantior; in ea primò ſummum Pontificem non audent Græci vnius diœceſeos finibus concludere, vel aliter ſextum Synodi Nicænæ canonem exponere, quàm vt agnoſcant ei totius Occidentis curam obtigiſſe. τῷ δὲ τῆς Ῥώμης Ἐπισκόπῳ (ait Nilus) τοῦτο δέδοται δηλαδὴ, τῶν ἑσπερίων κρατεῖν. quod ijſdem penè verbis expreſſit & Balſamo. Verùm nos, quibus nomen Romanum grauiſſimum eſt, & ſanctiſſimum, vti hanc ſolam Apoſtolicam ſedem eſſe credimus, ita ſoli eius Pontifici vniuerſæ Eccleſiæ clauum immortalis Dei munere datum profitemur: quæ haud dubiè fuit Concilij Nicæni ſententia; ſacra nimirum illa Synodus in Nouell. Theod. & Valent. de Epiſcop. ordin. quæ ſupremam hanc, & cœlo proximam poteſta-

tem plenè teſtata eſt: Nicænam enim propter excellentiam intelligas oportet, cùm Synodum audieris ὄντος· ὁ τῆς ἐκκλησίας νόμος Theodorito, ἱερατικὸς Sozomeno, & Nicolao Pontifici doctiſſimo *lex Eccleſiaſtica*; cuius præſcripto fultus Iulius Pont. Max. ſuam etiam in Oriente quondam retinuit authoritatem. Quin & Epiſcopi Euſebiani, quibus alioquin odio maximo erat Romana ſedes, Romã tamen Ἀποστόλων φροντιστήριον, καὶ εὐσεβείας μητρόπολιν prædicabant, vt ex eorum epiſtola quadam retulit Sozomenus lib. iij. cap. vij. vbi de Iulio verbis meminit tam honorificis, vt nihil ſuprà poſſit: οἷα δὲ τῆς (inquit) πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης, διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου, ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε. loquitur nempe de Epiſcopis, quos in Oriente expulſos, & exturbatos ſedibus ſuis, ille in priſtinam dignitatem poſt Nicęna tempora reſtituit: quod fieri certè non poterat niſi ab eo qui in celſiſſimo Principis Eccleſiæ ſolio ius diceret. Notum denique, vt annuente clariſſimo fidei vindice Cyrillo, nec repugnantibus Epiſcopis qui ex toto Oriente Epheſum cõuenerant, miſſi illuc à Cæleſtino legati eum πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν φροντίδα ἔχειν pronunciarint; vtque in Synodo Chalcedonenſi, cùm magnus Leo *vir Apoſtolicus, & vniuerſæ Eccleſiæ Papa*, ab ipſius legato Lucentio appellatus eſſet, nemo ex ſexcentis illis Patribus (licet omnes impenſiùs

quàm par eſſet Epiſcopo Conſtantinopolitano fauerent) Lucentium verbo refellerit, aut legatorum ſubſcriptiones quæ ſedis Romanæ maieſtatem adhuc tuentur arrogantiæ damnarit, aut reijciendas eſſe cenſuerit. Omitto Cyrillum Cæleſtini in Concilio Epheſino τὸν τόπον διέποντα (vnde Patriarcham Alexandrinum nomine Papæ nuncupatum tradunt Nicephorus & Balſamo.) Sed quid opus, ſi nulla fuiſſet in Orientis Imperio Pontificis Max. authoritas, vt ille Heracleano, Sardanenſi, Corinthio, Philadelphenſi, & alijs Epiſcopis à quibus Orientales Eccleſiæ regebantur, vices ſuas committeret? Atqui certè non tantùm Epiſcopos, ſed ipſos etiam Theſſalonicæ, & primæ Iuſtinianæ Primates à Pontificibus Romanis ſtudioſiùs id efflagitaſſe, & acceptum pro ſummo beneficio habuiſſe docent Pontifices Max. Leo epiſt. lxxxiiij. Martinus epiſt. v. & vj. Iuſtinianus Nouell. cxxxj. & Balſamo vj. in Trullo.

Superſunt adhuc in Synodo Nicæna (quam ad nos integram minimè perueniſſe certiſſimis argumentis compertum eſt) hæc verba can. ſexto: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν. quibus oſtenditur Alexandrini patriarchatus exemplum ab Eccleſiæ Romanæ forma ὡς ἀπὸ τοῦ

ἀρχέτυπε deſumptum fuiſſe.Sed alia tamen Patriarchæ, alia Pontificis ſemper dignitas. quamobrem hoc tibi perſuadeas oportet magnum nihilominùs in Ægyptiaca diœceſi Pontificis nomen,& imperium fuiſſe: etenim in prouocatione quam Concilij Nicæni decreto firmatam non dubito, ſummi ſacerdotij lumen maximè elucere negari non poteſt. Peruulgata eſt Athanaſij,qui maximæ Synodi pars magna fuit, ad Iulium appellatio. Et exciderat tamen Græcorum artibus lex illa de qua in Carthaginenſi Concilio actum eſt; ſed eam denuò in Sardicenſi renouatam habemus. Paſſim occurrent in antiquitatem intuenti appellationum huiuſmodi exempla, quorum authoritas nulla ratione labefactari, aut minui poteſt: indeque ius iſtud in ipſo etiam Oriente receptum fatetur Flauianus Princeps Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ epiſt. ad Leonem in actis Concilij Chalcedonenſis hoc loco: *Libellos vobis direxit Eutiches plenos omni fallacia,atque calliditate; dicens iudicij tempore libellos ſe dediſſe appellationis, & nobis, & huic conuenienti Concilio,& appellaſſe veſtram ſanctitatem, quod nequaquam verum eſt.* Hîc & frequentes relationes (quibus nihil fuit in Imperio Romano auguſtius) vt à ſummis magiſtratibus ad Imperatorem, ita ab Epiſcopis ad Romanum Pontificem factas facilè poſſem aſcribere;ſed vnum pro multis

teſtimonium dabit Synodi Sardicenſis ad Iulium epiſtola apud Hilarium: *Optimum & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli ſedem de ſingulis quibuſque prouincijs domini referant Sacerdotes.* Ad Patriarchæ igitur non Pontificis dignitatem reſpexit ſextus ille canon.

Sed reſidet adhuc in verbis Rufini (qui Græca Latinè reddidit) nubecula quædam: *Apud Alexandriam* (inquit) *vt in vrbe Roma, vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt ille Ægypti, vt hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* Ego Rufini interpretationem tuendam hoc loco non ſuſcepi, nec Concilij Nicæni mentem eum aſſequutum eſſe contendo; quin ſic exiſtimo ſatius fuiſſe in re quæ tantum habet momenti verbum verbo reddere; verumtamen id ſine vlla dubitatione confirmauerim his verbis Eccleſiæ Romanæ maieſtatem nõ lędi. Nam vt breuiter, & ſummatim ea complectar quæ de Italiæ diuiſione à me ſuperiori Diatriba pluribus explicata ſunt; obſeruandum Romam, & ſuburbicarias regiones à Præfecto vrbis, & Vicario, vt reliquas Italiæ prouincias à Præfecto prætorio Italiæ, & eius Vicario regi atque gubernari conſueuiſſe. Duas igitur habuit Italia diœceſes; nam diœceſis nihil aliud eſt, quàm coniunctarum prouinciarum adminiſtratio: ſed

Cap. 3 pag. 23 & ſequentib.

Sed effecit vrbis dignitas, vt in Præfecto, & Vicario conſtituendo ſola tantæ ciuitatis ratio habita videatur: hinc diœceſeos Italicæ nomen retinuit ea tantùm Italiæ pars, quam Præfectus prætorio adminiſtrabat. Quo fit vt frequenter in Imperatorum conſtitutionibus ſuburbicariæ prouinciæ, quæ omnes in Italia ſunt, ab Italia tamen ſeparentur. Quod cùm ita ſit, nemini mirum videri debet, ſi earum Eccleſiæ à Rufino cum Ægypto conferantur: ampliſſima enim fuit Ægypti diœceſis, ſed multò illuſtrior illa pars Italiæ, in qua Roma ipſa auguſto auſpicio condita, Imperium terris æquauit, & quam in diœceſeos quoque formam redactam propriam vrbi dicarũt orbis moderatores. Rufini igitur hæc ſententia, Ægyptiacas prouincias ab Alexandrino adminiſtrari, vt ſuburbicarias ab Epiſcopo Romano. Nam quamuis aliæ quoque eſſent in patriarchatu Romano diœceſes (qua de re nemo vnquam dubitauit) ſatis erat nihilominùs vrbicariam, qua plures prouinciæ & metropoles comprehendebantur cum Ægyptiaca conferre: quid clarius? quid apertius? nihil de ſumma hîc authoritate totiuſque Eccleſiæ procuratione detrahi vides. Atque hoc ſenſu etiam accipi oportet quod apud Iulianum anteceſſorem legimus Nouell. cix. *Archiepiſcopum Juſtinianæ primæ eadem iura ſuper Epiſcopos ſibi ſubiectos habere,*

*quæ Papa Romanus habet ſuper Epiſcopos ſibi ſuppoſitos*. Quibus ſanè non æqualis vtriuſque ſtatuitur poteſtas ; nemo enim qui ſanæ ſit mentis, cum æternæ vrbîs Pontifice nouæ & ignobilis ciuitatis Epiſcopum conferendum putet , & ne quidem inſolens illa Græcorum natio. Suam Metropolitanus, ſuam habet Epiſcopus parœciam, in qua pari iure vtuntur : ſed vniuerſa tamen prouincia Metropolitani curæ ſubijcitur : quod ſimiliter dici de Metropolitano , & Patriarcha, ſeu Primate poteſt ; & hoc exemplo certè Patriarcha nihil differt à Pontifice Max. in adminiſtratione diœceſeos quæ certis prouincijs continetur ; & ſpecialis Patriarchæ Romani diœceſis ab Hincmaro dicitur epiſt.vj.cap.iiij.Verùm alia eſt Max.Pontificis diœceſis, quæ, vt ſæpiùs dictum eſt, orbis terræ regionibus definitur, cuius ratione eleganter is Patriarcharum Epiſcopus vocatur à Caſſiodoro epiſt. xv. lib. ix. Ideoque Patres, qui primo Arelatenſi Concilio interfuerunt, haud temerè in epiſtola ad Silueſtrum ſcripſerant non vnam ab eo diœceſim adminiſtrari: *Placuit à te qui maiores diœceſes tenes, potiſſimùm omnibus inſinuari.*

Fœlices nimiùm Chriſtiani, ſi nihil vnquam de ſumma illa authoritate delibari permiſiſſent : equidem, ἵν' εἴπω τὶ ϗ τολμηρότερον, hoc ſemper in animum induco meum non ſine præcipuo Dei nu-

mine Orientem Occidentis viribus expugnatum (quæ Francorum pietati & virtuti laurea maximè debetur) vt illa pars orbis Patriarcharum ſedibus inclyta Eccleſiæ Romanæ faſces ſubmitteret, & eius amplitudinem, dignitatemque agnoſceret. Quamobrem & lego, fateor quàmlibenter, quæ Innocentius III. de electione Conſtantinopolitani Patriarchæ eo tempore decreuerat in cap. ſcriptum de election: quod vt illuſtrem, & quædam rei penè iam obliteratæ veſtigia oſtendam, à propoſito paululùm deflectere non pigebit: *Mandantes* (ait Innocentius) *quatenùs ſuper his & alijs inquiras diligentiſſimè veritatem de meritis electi, & poſtulati apud Venetias, vbi nati fuerunt, & diutiùs conuerſati.* poſtulatum hîc, & electum Venetijs; natos & educatos audis: quoniam iunctis antè Gallorum Venetorumque copijs Conſtantinopolis obſeſſa, & capta fuerat, totiuſque exercitus conſenſu ſancitum, vt ſi Gallus ad Imperij (quod Balduino poſteà obtigit) culmen aſcenderet, Veneto patriarchatus deferretur; idque Egnatium, Blondum, & Cuſpinianum cùm non latuerit, à Villarduyno tamen, Niceta, & ab ipſo etiam Imperatore (cuius epiſtolam edidit annalium ſcriptor Gothofredus) prætermiſſum eſt. An quia palàm, & in oculis omnium actum non fuerat de his pactionibus, quas nemo extitiſſe inficiabitur, qui eò rem

perductam intelliget, vt ſoli etiam Veneti ad reliquas Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dignitates, & officia admitterentur: quod iure optimo Innocentius prohibuit ſcripta ad legatos ſuos epiſtola, cuius pars eſt cap. v. de inſtitut. Sed apertiùs ad ipſum Patriarcham: *Quòd ſi de cætero* (inquit) *ſolos Venetos in Eccleſia ſanctæ Sophiæ Canonicos inſtitueris, aut ad hoc operam impenderis, vt ſemper in eadem Eccleſia ſit Venetus Patriarcha; nulla deinceps ratione poteris excuſari, nec illud obſerues, vt neminem Archiepiſcopum præter Venetum in tota facias Romania.* ſunt & aliæ eiuſdem argumenti epiſtolæ in codice MS. Collegij Fuxenſis Toloſæ, ex quarum vna ea tantùm hîc appingam, quæ Francos potiſſimùm ab illius Eccleſiæ dignitatibus & officijs remotos demonſtrant: *Solos Venetos vel ſubiacentes eis in Eccleſia tua promoues, Francos, & alios probos viros alterius nationis promouere contemnens; volumus vt ab huiuſmodi reuoceris abuſu.* ſed de his ſatis. Multa eruditè de Pontificis Max. poteſtate à viris pietate, & literis præſtantibus ſunt ſcripta, quæ gratius erit ab ipſis fontibus, quàm ex arenti hoc riuulo haurire. Ego de re omnium grauiſſima breuiter tantùm, ſimpliciter, & ſine fuco egi,

ἁπλῦς γὰρ ὁ τῆς ἀληθείας μῦθος.

*ECCLESIÆ SOL IN ARCE Romana. Omnis Italia in Pontificis Max. Patriarchatu. An Illyricum cum Italia coniunctum fuerit. Aquileia Dalmatiæ ciuitas. Nullus in Occidente Illyrici Vicarius. Vera Illyrici metropolis Mediolanum. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis Sirmienſis Epiſcopi electioni præfuit. In Concilio Aquileienſi primas tenuit Epiſcopus Mediolanenſis: nec tamen Primatis aut Patriarchæ ſibi honorem vnquam arrogauit. Rauenna vrbs regia, Flaminiæ primùm metropolis, Æmiliæ poſteà attributa. Nullum eius Epiſcopus ſibi primatus ius vindicauit. Eccleſiæ Rauennatis autocephalia. Aquileienſis Epiſcopus. Gradenſis & Foroiulienſis Primates fuerunt. Gradus noua Aquileia. Longobardiæ Tranſpadanæ metropolis vetus Aquileia. Venetorum Patriarcha. Piſanus Primas. Carthaginenſis Epiſcopus Africæ primatum obtinuit. Eius authoritas in omnes Africanæ diœceſeos prouincias. Paſchatis dies ſcriptis à Pontifice literis ſolebat quotannis publicari. Treuerenſis primatus. Veterum Epiſcoporum modeſtia. Arelatenſis primatus. Primates à Sedis Apoſtolicæ Vicarijs differunt.*

*Suas tamen Primatibus vices aliquando Pontifices imponebant. Legati à latere. Eorum nomen ab Imperio ad Eccleſiam tranſlatum. Britanniæ Primatem ab Arelatenſi Epiſcopo conſecrari voluit Gregorius. Synodi cogendæ ius Arelatenſi olim Epiſcopo conceſſum. Eius cum Epiſcopo Viennenſi de iure metropolitano in Taurinenſi Concilio controuerſia. Viennenſis prouincia inter eos diuiſa. Ciuiles, & Eccleſiaſtici Septem prouinciarum conuentus in Arelatenſi ciuitate fiebant. Hincmari ſententia de primatu Viennenſi in dubium reuocatur. Zoſimi, & Bonifacij de Arelatenſis Epiſcopi authoritate diuerſa decreta. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus Galliarum Primatem ſe aſſerebat, cui reſtitit Leo Pontifex Max. Aucta nihilominùs poſteà huius Eccleſiæ dignitas. Sed extincta tandem. Toletanus primatus. Vnde eius origo. Gallia Narbonenſis à Gotthis in Hiſpaniæ prouincijs numerata. Inepta Hiſpaniarum diuiſio, quæ falsò Conſtantino tribuitur. Profligato, & extincto Alarico regnum Toloſanum funditùs deletum. Quo tempore celebrata fuerit prima Aurelianenſis Synodus. Toloſa Gotthis cum Aquitania conceſſa metropoleos nomen accepit. Duæ in eadem prouincia metropoles. Vetus Nicææ cum Nicomedia περὶ πρωτείων contentio.*

*Duæ Britanniarum metropoles à Gregorio Magno conſtitutæ. De primatu inter Epiſcopum Cantuarienſem & Eboracenſem controuerſia.*

## CAP. IIII.

SVos etiam Patriarchas & Primates Occidens coluit: ſed cùm Eccleſiæ Sol propiùs ex arce Romana eam orbis partem aſpiciat, mirum non eſt ſi obſcurentur tanti luminis velut fulgore vicina ſydera. ἥλιος (ait Baſilius Seleuciæ Epiſcopus) ἐπαφιεὶς τὰς ἀκτῖνας, ἀστέρων μὲν καλύπτει χορούς, ἀμαυροῖ δὲ φέγγος σελήνης, τῇ δὲ λαμπρότητος ὑπερβολῇ τῶν φωστήρων συστέλλων τὴν θέαν. Egimus nos de ſuburbicarijs prouincijs ſuprà, ſequitur Italia prætorij Italici diœceſis prima, cuius metropolis Mediolanum; ſed quis olim & totam Italiam in patriarchatu Romano ſitam denegauerit? quanquam ſi ſupremam Pontificis Max. authoritatem reſpicimus, haud valdè neceſſarium videatur de patriarchatus finibus diſputare. Vt ergo ad rem, nemo ſibi perſuadeat ciuiles diœceſeôn, & prouinciarum formas in Eccleſiæ politia ſemper obſeruatas; nec enim id res ratióve ſuadet, quemadmodum ſuo loco planè & dilucidè explicabitur, hîc tantùm fas ſit ſagaciter odorari, & inueſtigare, an Mediola-

nenſi Epiſcopo ex eius vrbis dignitate aliquid olim authoritatis acceſſerit, vt de Theſſalonicenſi ait Iuſtinianus Nouell. xj. quod ita facillimè exequemur, ſi in hac quæſtione Italiæ adiungamus Illyricum, cuius aliquando duas fuiſſe diœceſes, alteramque cum antiqua metropoli Sirmio Italiæ prętorio aſcriptam perſpicuum eſt. Sed vereor ego, ne vt Daciam alio loco Macedoniæ adiunctam oſtendi, ita & hæc Illyrici pars diœceſeos nomine ſeruato tunc Italiæ προσθήκη fuerit, nec ſolùm eundem Præfectum, ſed & Vicarium habuerit, priſco & illuſtri exemplo legis Vatiniæ; quæ, vt Suetonius ſcribit, Illyricum cum Gallia Ciſalpina in Cæſaris gratiam coniunxerat. nec certè mirum; quippe Italiæ imminet tractus ille. Auſonius in Aquileia:

*Itala ad Illyricos obiecta colonia montes.*

Quin & fines, quibus inter ſe diſiunguntur, parum certi: ſiquidem Aquileia ipſa Italiæ vrbs, Dalmatiæ (quæ Illyrici prouincia eſt) aliquando tribuitur, vt probat hic primæ Synodi Arelatenſis locus: *Ex prouincia Dalmatiæ ciuitate Aquileia Theodorus Epiſcopus.* & confirmat etiam prouinciale Romanum, in quo Pontifex Max. longo poſt tempore id ipſum ſequutus videtur; atque ideò nullus, ſi quid coniectura aſſequi poſſum, in Occidentis Notitia Illyrici Vicarius. vir doctiſſimus, qui commentarijs vtramque Notitiam illuſtrauit, occupato iam à

bar

barbaris Illyrico, magiſtratum, qui fungi munere ſuo non poterat, prætermiſſum exiſtimauit: ſed profectò nondum in Illyrico funditùs deletum erat nomen Romanum; & quod caput eſt, cùm omnes huius diœceſeos prouinciæ, earumque Rectores hoc Imperij breuiario comprehendantur, non occurrat facilè qua ratione omitti potuit Vicarius. Itaque Sirmium, niſi fruſtrà ſum, priſtinum quidem honorem retinuit; ſed vera tamen Italiæ, & Illyrici metropolis eo tempore Mediolanum. Huius ſententiæ non leue argumentum in electione Anemij Sirmienſis Metropolitani, cui Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus præfuit, ita Paulinus in eius vita: *Cùm Ambroſius Sirmium ad creandum Epiſcopum Anemium perrexiſſet, ibique Iuſtinæ tunc temporis Reginæ potentia, & multitudine coadunata de Eccleſia pelleretur, vt nõ ab ipſo, ſed ab hæreticis Arianis Epiſcopus ordinaretur, eſſetque conſtitutus in tribunali, nihil curans eorum quæ à muliere excitabantur &c.* An permiſiſſet ſcilicet Auguſta, niſi ſedis Mediolanenſis hæc fuiſſet authoritas, vt Ambroſius, cui illa pertinaciter erat infenſa, electioni Epiſcopi in alia diœceſi præficeretur? Non Ariani quoque, qui ab Illyrico profecti, vt docet Maximi tyranni epiſtola ad Valentinianum Auguſtum, iam Occidentem inſanæ prauitatis opinione infecerant, viro ſanctiſſimo, quem

hoſtili odio proſequebantur, reſtitiſſent?

Hæc ſi fuit Mediolanenſis Epiſcopi authoritas in Illyrico, quî minor eadem eſſe potuit in Italiæ diœceſi, cuius Mediolanum propria fuit metropolis? ſanè in Concilio Aquileienſi (quod potiſſimùm ex Italiæ prouincijs conuocatum docet Gratiani ad Præfectum prætorio epiſtola) ipſum Ambroſium primas tenuiſſe ex ſerie actorum liquidò ſatis deprehenditur; neque verò Italiæ ſtatu poſt crebras illius vaſtationes immutato prorſus euanuit hæc poteſtas, vt ſubindicat vetus mos in Aquileienſis Epiſcopi electione obſeruatus can. iſtud. 11.quæſt.1.& can.pudenda.24. quæſt.1.

*Sed verum fateamur, amat Polymnia verum.* Nunquam ille ſibi tantum arrogauit, vt Patriarchæ aut Primatis nomen vſurparet; quod Gelaſius etiam non obſcurè innuit in epiſt. ad Dardanos. Itaque vnus adhuc totius Italiæ & Occidentalis Illyrici Patriarcha, vrbis æternæ Epiſcopus.

Arx demùm Imperij & propugnaculum fuit Rauenna, *vrbium* (ait Paulus Diaconus) *nobiliſſima*, ita vt regium nomen conſequuta ſit. Iornandes cap.xxix.de rebus Geticis: *Tertio milliario ab vrbe erat regia Rauennate.* nec ad ſummum decus ei defuit ſplendor Eccleſiæ. Nota ſatis Valentiniani conſtitutio, quam Hieronymus Rubeus rerum Rauennat. ſcriptor edidit: ἀλλὰ ταύτην τοῖς γνησίοις

ἐσκεῖναι. meritò dubitant viri iudicio, & doctrina præcellentes;in ea nihilominùs nullum Patriarchæ aut Primatis veſtigium agnoſcas.metropolim quidem Flaminiæ fuiſſe docet Zoſimus lib. v. Ῥαβέννα μητρόπολις Φλαμινίας, πόλις ἀρχαία. & vetus prouinciarum index : *Flaminia in qua Rauenna*. ſed hoc initio, poſteà Æmiliæ attributam veteri hoc lapide comprobatur: CRONIO. EVSEBIVS. V. C. CONSVLARIS ÆMILIÆ. ADDITA. PRÆDICTÆ. PROVINCIÆ CONSVLARI. VIGILANTIA. ET. IVSTITIA. EIVS. RAVENNATIVM. CIVITATE. QVÆ. ANTEA. PICENI. CAPVT. PROVINCIÆ. VIDEBATVR. nam Picenum (ne quis hîc hæreat) eandem cum Flaminia prouinciam alibi oſtendimus. Denique Æmiliæ metropolim fuiſſe teſtis non ſolùm Valentinianus, ſed & Simplicius Pont. Max. (qui aliquot poſt annos Eccleſiæ Catholicæ curam ſuſcepit) in epiſtola ad Ioannem huius ciuitatis Epiſcopum, in qua, *Ordinationes* (inquit) *tibi Rauennatis Eccleſiæ vel Æmilienſis noueris auferendas*. neſcio an tunc Æmiliæ addita fuerit Flaminia:etenim ciuitates ferè omnes, quæ à Valentiniano Æmiliæ aſcribuntur, Romandiola (quæ vulgò Flaminia exponitur) comprehenſas in prouinciali Romano habemus; adeoque Paulus Diaconus qui eaſdem Æmiliæ ciuitates aſſignat,

*Non nihil diuerſa apud Gruter. pag. 399.*

Rauennam tamen in Flaminia conſtituit. Sed hæc nimirum tenebris offuſa latent adhuc in ſinu antiquitatis. Id verò exploratum vnam tantùm à Rauennatum Epiſcopo prouinciam adminiſtratam, in qua nullum vnquam Primatis ius habuit:quò fit vt eius quoque modeſtia à Gelaſio magnoperè commendetur. Taceo ( vt verbum Anaſtaſij in Dono vſurpem ) *autocephaliam*, indignum herclè facinus , & ſilentio æterno obruendum ; cuius author poſt inſtitutum ( vt credi poteſt ) Exarchatum eruditus Græcis moribus fuerat: ὁ τοῦ μύθου Σαλμωνεὺς μικρόν τι χρῆμα πρὸς αὐτὸν ἦν.

Et tamen auditum aliquando nomen Primatis aut Patriarchæ in quibuſdam Italiæ prouincijs non inficior. Aquileienſem Patriarcham nemo ignorat; ita Paulus, ita Seuerus, & Abbas vocantur à Paulo Diacono. Et quidem Iſtriæ quondam Venetiæque fuit metropolis Aquileia ; iactata etiam celebritas Romatianæ , palatiumque vetuſtiſſimum , cuius egregia pictura laudatur in panegyrico ad Maximianum;neque quenquam latet Eccleſia eius antiquiſſima , de qua Manaſſes Arelatenſis apud Luitprandum lib. iiij. cap.iij. tametſi incertum quo primùm tempore Epiſcopus ille Patriarchæ nomen ſibi aſciuerit:appellatio certè non admodùm vetus. Verùm & eadem Venetiarum prouincia Gradenſem Patriarcham habuit : nec dubium quin Aqui-

leiâ à Longobardis captâ, Patriarcha, qui profugus in paruam illam Inſulam conceſſerat, noui huius patriarchatus author extiterit; ex eoque Gradum nouam Aquileiam, & Gradenſem Epiſcopum nouæ Aquileiæ Patriarcham dixerit Leo IX. Pontifex Max. epiſt. ij. Diuerſa ergo partium ſtudia in medio belli diuturni æſtu effecerunt, vt Patriarchæ ambo appellati ſint: vtriuſque ſanè fit mentio in prouinciali Romano, & apud Paulum Diaconum lib. iiij. cap. xxxiiij. Adijciendus Foroiulienſis, qui Patriarcha quoque dicitur à Vvalfrido Strabone de reb. Eccleſiaſt. cap. xxv. Etenim poſt direptam, vt arbitror, Aquileiam, Forumiulij Venetiarum fuit metropolis. Paulus Diaconus lib. ij. cap. xiiij. *Venetiæ Aquileia ciuitas caput extitit; pro qua nunc Forumiulij.* Sed poſteà cùm Gradenſis Epiſcopus & Foroiulienſis de finibus inter ſe diſceptarent, Venetiam & Iſtriam obtinuit Gradenſis, Longobardiam Foroiulienſis. Leo IX. epiſt. ij. iam citata: *Judicio totius ſanctæ Synodi definitum fuit, vt noua Aquileia totius Venetiæ & Jſtriæ caput & metropolis perpetuò haberetur, ſecundùm quod euidentiſſima prædeceſſorum noſtrorum aſtruebant priuilegia: Foroiulienſis verò Antiſtes tantummodò finibus Longobardorum eſſet contentus.* & hoc opinor iure vſus eſt poſteà Aquileienſis Patriarcha, cùm aliquam priſtinæ fortunæ

partem recuperaſſet;atque ita Venetiarum prouinciam amiſit Aquileia, & Longobardiæ Tranſpadanæ, quam Æmiliam vocat Guntherus, metropolis facta eſt.

*Æmiliæ primam fama cognouimus vrbem*
*Quæ, velut ex Aquila cunctarū rege volucrum,*
*Nomina clara gerens, Aquileia ritè vocatur.*

Ex his porrò contemplantibus, quæ illis temporibus miſeris planè,& luctuoſis fuerit Italiæ facies, nihil vſquam in Eccleſiaſticis ciuilibuſque prouinciarum formis fixum & ſtabile videbitur. Sedenim ( vt hoc quoque addam ) Dominicum Gradi Antiſtitem Gregorius VII. Venetiæ vocat Patriarcham lib.j. epiſt. xviij. Gradenſem eum fuiſſe probat epiſt.xiiij.lib.iij. nondum enim parua illa Inſula patriarchatu ſuo exuta fuerat,vt fidem facit epiſtola xxxix.lib.ij. At Venetorum vrbs clariſſima (quæ, iactatâ turbulentiſſimis tempeſtatibus & procellis Italiâ, velut Rhodus altera celſum vndis caput extulit, vt perpetuum florentiſſimæ Reipublicæ domicilium eſſet ) patriarchatum tandem, Gradenſis nomine extincto , fœliciter eſt adepta. Cenſetur etiam inter Italiæ Primates Piſanus, cuius authoritatem ornat & amplificat Innocentius III. epiſt. ad Hubaldum lib. j. Sed videor forſan de his nimis multa: ad veteres enim illos Patriarchas & Primates, qui integras adminiſtrabant diœceſes, pertinet noſtra Diatriba.

Sequitur Africa prætorij Italici tertia & cele-
berrima diœceſis, cuius ducentos quinque Epiſco-
pos Carthaginenſi aliquando interfuiſſe Concilio
obſeruauit Leo IX. epiſt. iij. & iiij. fuerunt autem
omnes illius Metropolitani Primates, προεδρεύοντες,
ſiue τῆς πρώτης καθέδρας Ἐπίσκοποι, ſed ἔξαρχοι dici non
poterant can. xxxix. Concil. Carthagin. quamuis &
hoc etiam verbo nonnunquam Metropolitani de-
ſignentur, vt ab Euagrio lib. iiij. cap. xj. ὑποτέθεικε
τοὺς ἑκάστης διοικήσεως Πατριάρχας ἀλλήλοις συμβαίνειν·
τούς τε τῶν πόλεων Ἐπισκόπους, τοῖς ἰδίοις ἐξάρχοις ἕπεσθαι.
verùm hoc parciùs: proprium enim ſolis diœ-
ceſeôn Primatibus, quibus adnumerandus eſt Car-
thaginenſis Epiſcopus, Leoni IX. Pontifici Max.
rectè dictus in epiſt. iiij. *maximus Africæ Metro-
politanus*. eum certè toti Africæ à ſe præpoſitum
gloriatur Iuſtinianus Nouell. cxxxj. τὸ δίκαιον τῆς ἀρ-
χιερωσύνης, ὅπερ τῷ Ἐπισκόπῳ Ἰουστινιανῆς Καρχηδόνος τῆς Ἀφρι-
κῆς διοικήσεως δεδώκαμεν, ἐξ ὅπερ ὁ Θεὸς ταύτην ἡμῖν ἀπο-
κατέστησε φυλάττεσθαι κελεύομεν. At ſine dubio non ſunt
hæc iura à Iuſtiniano primùm conceſſa, ſed poſt
receptam à Vandalis Africam reſtituta: magnam-
que tanti Antiſtitis iam anteà fuiſſe authoritatem
apparet ſatis ex can. 56. Concil. Carthagin. vbi Epi-
gonus Epiſcopus Aurelium Antiſtitem ita allo-
quitur: ἀνάγκην ἔχεις αὐτὸς πάσας τὰς ἐκκλησίας ὑποστη-
ρίζειν. ὅθεν ἐξουσίαν σοι ἡμεῖς οὐ δίδομεν, ἀλλ᾽ ἐπισφραγί-

ζομεν ταύτην τῇ σῇ προαιρέσει, ὥστε ἐξεῖναι ἀεὶ κρατεῖν ὃ ἂν θέλῃς, καὶ προχειρίζεσθαι προεστῶτας τῶν ἐκκλησίαις &c. Sunt & alia permulta in Synodis Africanis, quæ Carthaginenſis Epiſcopi in totam diœceſim authoritatem prolixè declarant, vt quòd Clericos ex omnibus Africæ prouincijs conſecrabat, quòd ſine eius formata, quam ἀπολυτικὴν vocant, ad comitatum iter inſtitui non poterat, quòd cæteris Africæ Epiſcopis ſolemnem indicabat Paſchatis diem, quem tamen anteà Pontifex Max. præſcripſerat, vt ex epiſt. x. Innocentij I. ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem apertè conuincitur: & hæc quidem fuerat Alexandrino Epiſcopo cura olim delegata; ſed ille ad ſummum Pontificem referebat, vt Beda cap. xlij. de ration. temp. & Magnus Leo in epiſt. lxxij. ad Martian. Aug. luculenter exponunt, neque immeritò: nam quod vniuerſa Eccleſia ſimul eadem die exequi debebat, id par fuit ab ipſo vniuerſitatis Rectore promulgari; nec aliud in can. j. Synodi Arelatenſis primæ decernitur.

Tranſeo nunc ad prætorium Galliarum, in quo tres ſunt item diœceſes, Galliæ nimirùm, Hiſpaniæ, & Britanniæ. Galliarum metropolis fuit Auguſta illa Treuerorum, vrbs vtique nobilis & copioſa, cuius Epiſcopus primatum ampliſſimum antiquo hoc epigrammate tuetur:

Ac

*Accipe primatum poſt Alpes Treuir vbique*
*Quod tibi Roma, noua lege dat & veteri.*

Quibus verbis ſanè tres maximas diœceſes comprehendi nemo non intelligit: & verò magnam eius ciuitatis, quæ Tranſalpinis omnibus antecelleret, dignitatem eſſe oportuit; quanquam Epiſcopus qui illic ſedebat adæquandam (ſi Gelaſio credimus) cum ciuili potentia Eccleſiaſticam authoritatem nunquam putauit: quod verecundiæ forſan & modeſtiæ tribuendum putes, quæ tanta quidem priſcis temporibus in primis Eccleſiæ moderatoribus elucebat, vt ſpecioſa omnia honorum vocabula facilè reſpuerent, & extraordinaria poteſtate, quam obtinerent, comiter vterentur; res in Concilio Carthaginenſi Aurelio totius Africæ Primati ab Epigonio laudi data: Ἐπίγονος Ἐπίσκοπος εἶπεν ἡ ἀγαθοθέλεια μεσάζει τὴν ἐξουσίαν ἧττον γὰρ τολμᾷς εἴπερ δύνῃ ἀδελφὲ, ἐν τοῖς πᾶσιν ἑαυτὸν ἀποδεικνύειν ἀγαθὸν καὶ φιλάνθρωπον. ſed nullum ferè (εἰρήσεται γὰρ τἀληθὲς) in veteri memoria tantæ occurrit poteſtatis veſtigium. Nec ego mihi perſuaſerim quenquam Epiſcopum Treuerorum in tribus his diœceſibus Primatem vnquam egiſſe: ſi quis tamen in propria eum Galliarum diœceſi præcipuo quodam & exorti honore olim donatum contendat, minimè obnitendum arbitror. Nicetium Treuericum ſic compellauit Venantius Fortunatus:

*Totius orbis amor, Pontificumque caput.*

& alio loco Magnericum:

*Culmen honorificū Patrū Pater Archiſacerdos.*

Sed nihil ibi quod quiuis Metropolitanus ſuo iure ſibi non vindicet. Et iam profectò notus erat in Gallijs primatus Arelatenſis, cuius origo inueſtigationem habet nō difficilem. Laborante Imperio, & rebus in Occidēte iam inclinatis, nouum iſtud in Gallijs ſydus apparere cœpit, de quo Iuſtinianus in epiſt. quæ ſupereſt in collat. ij. quintæ Synodi: *Sedenim Valentiniano Epiſcopo Scythiæ & Aureliano Arelati quæ prima eſt ſanctiſſimarum Galliæ Eccleſiarum, ſcripſit & manifeſtauit.* & Pelagius apud Nicolaum I. in epiſt. ad Michaëlem Imperatorem: *Paſſi eſtis ſurripi vobis & Sabaudium fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum Arelatenſis ciuitatis Antiſtitem, cuius Eccleſia in regionibus Gallicanis primatus priuilegio, & Sedis Apoſtolicæ vicibus decoratur.* hunc enim Sedis etiam Apoſtolicæ Vicarium fuiſſe probant epiſt. Vigilij Pōt. Max. ad Epiſcopos Galliarū; & Gregorij Magni epiſt. liij. & liiij. lib. iiij. Sed caue putes, ob id Vicarios omnes Apoſtolicæ Sedis Primates fuiſſe, vt quibuſdā viris doctiſſimis viſum eſt. Enimuerò Primates aliquando Pōt. Max. vices ſuſtinuiſſe in dubium vocari non poteſt; ſed differunt tamen à Vicarijs: nam quis Heracleanum, Sardanenſem, Corinthium, & alios huiuſmodi, qui

Vicarij Sedis Romanæ in Oriente fuerunt, Primates appellauerit? eos Balſamo vj. in Trullo Legatos vocat ἐκ προσώπου· à latere dixerunt noſtri Pontifices, quod nouum non eſt; ſiquidem in Concilio Carthaginenſi de Pontifice Max. dicitur: ἵνα ἐκ τοῦ πλευροῦ αὐτοῦ πρεσβύτερον ἀποστείλῃ ἐν τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ εἴη. & in epiſtola Magni Leonis ad Fauſtum & reliquos Archimandritas Conſtantinopolitanos: *Cùm propter cauſam fidei, quam Eutyches perturbare tentauit, de latere meo mitterem, qui defenſioni veritatis aſſiſterent.* ab Imperio ſumptum vocabulum, vt oſtendit illud Poſſidonij in vita Auguſtini de Tribuno & Notario, qui ad componendas de religione contentiones in Africam ab Honorio Imperatore legatus fuerat: *Propter quod perficiendum etiam de ſuo latere Tribunum & Notarium Marcellinum ad Africam Iudicem miſerat.* ſed maior ſemper Legati à latere, quàm aliorum omnium qui Pontificis vices obirent poteſtas ex cap. 8. & 9. de offic. legat. Arelatenſem igitur & Primatem, & Vicarium fuiſſe conſtat: ad primatum reſpexit Gregorius Magnus cùm Virgilium vrbis illius Epiſcopum Galliæ Metropolitanum appellauit epiſt. liij. lib. v. cuius dignitati ne quid temerè detraheretur, conſulenti ipſum Auguſtino Britanniarum Primati omnem in Galliarum Epiſcopos authoritatem denegauit, vt eſt in can. iij. xxv. q. ij.

& apud Bedam lib. j. cap. xxviij. quin euocatum illum è Britannijs, vt author idem Beda, ad extremos Galliarum fines ab Arelatenſi Epiſcopo conſecrari voluit; nimirùm vt à ſummo Antiſtite Galliarum (quarum Britannia quondam pars fuerat) tanti ſacerdotij honorem acciperet. Hæc ſanè ſi quis attentiùs cogitet Arelatenſi totius Galliæ primatum putet aſſerendum; ſed rem altiùs adhuc ordiri, & à capite repetere non grauabor. Primùm, Synodi ex diuerſis prouincijs cogendæ poteſtatem eum antiquitùs habuiſſe diſcimus ex can. 18. Concil. Arelatenſ. II. qua ratione forſan ab eo de prouinciæ primatu, hoc eſt, de iure metropolitano cum Viennenſi Epiſcopo diſceptatum eſt in Concilio Taurinenſi; cuius hoc fuit iudicium, vt qui ciuitatem ſuam metropolim oſtenderet, is Metropolitani honorem, & prouinciæ curam ſuſciperet. Attamen in omnibus Galliarum Notitijs quæ ad nos peruenerunt Vienna ſemper totius eſt prouinciæ metropolis, & in Synodo Arelatenſi prima Arelas inter ciuitates Viennenſes numeratur: *Ex prouincia Viennenſi ciuitate Arelate Marinus Epiſcopus*. Verùm ex ipſius Concilij Taurinenſis ſententia controuerſia demùm tranſacta, & prouincia inter eos diuiſa eſt; quod Zoſimi, & aliorum etiam Pontificum (quorum literæ ex tabulario Eccleſiæ Viennenſis nuper in lucem prodierunt)

authoritate fulcitur. *Sicut in Taurinenſi* ( ait Zoſimus ad Simplicium Epiſcopum Viennenſem) *grauiſſimorum Epiſcoporum Synodo pacis concilio decretum eſt viciniores tibi intra prouinciam ciuitates vindices.* eaque diuiſio à Leone iam recepta, Symmachi reſcripto his verbis confirmatur: *Quemadmodum Leo Papa dudum recognitis partium allegationibus definiuit paræciarum numerum, vel quantitatem Viennenſi & Arelatenſi Sacerdotibus deputatam, & nos præcipimus nullius vſurpatione tranſcendi.* indeque omnes ciuitates, ex quibus Arelatenſis Metropolitani prouincia conflata eſt, in antiqua Viennenſi reperiuntur.

Cæterùm Taurinenſem Synodum quarto Honorij conſulatu, aut circa, coactam conijcio; tunc enim è viuis exceſſerat Ambroſius (ſicuti à Comite Marcellino proditum eſt) cuius recens obitus in Synodo illa memoratur: necdum tyrannidem occupauerat Conſtantinus, à quo Arelas Galliarum facta metropolis, ſummum Præfecti prætorio tribunal accepit; nihilque profligato illo mutauit Honorius, vtpote qui non poterat Galliarum prætorium Treueris, quibus ademptum fuerat, reſtituere, cùm victo Conſtantino illas tantùm prouincias receperit quæ in Tyranni poteſtate remanſerant, vt prodidit Sozomenus lib. ix. cap. xv. vbi de hac victoria verba faciens ita ſcribit: ὁ δ' ἐκείνου πάλιν

τὸ τῇ ὑπήκοον εἰς τὴν Ουωείυ ἡγεμονίαν ἐπανῆλθε καὶ τοῖς ὑπ᾽ αὐτὸν ἄρχουσιν ἐπείθετο. Iam vtraque Belgica, & maior Galliarum pars à Romanis defecerat. Sic igitur aucto ſplendore vrbis Arelatenſis, Eccleſiæ dignitas facta illuſtrior eſt; idque adeò vt non ciuiles tantùm, verùm etiam Eccleſiaſticos exhinc Septem prouinciarum conuentus in ea celebratos ſcripſerit Hincmarus epiſt. vj. quod non improbo, quamuis quod ait primatum Viennenſi Epiſcopo priùs conceſſum, perſuaderi mihi non facilè ſino: duas enim doctiſſimus Cardinalis Baronius protulit ex veteri quodam Arelatenſis Eccleſiæ codice Zoſimi epiſtolas ad Epiſcopos vtriuſque Narbonenſis atque Viennenſis, & ad Hilarium Narbonenſis primæ Epiſcopum xj. Honorij conſulatu ſcriptas, hoc eſt, vj. ferè poſt extinctum Conſtantinum anno, in quibus ille Viennenſem prouinciam, & vtramque Narbonenſem Epiſcopi Arelatenſis pontificio (vt ipſius verbis vtar) ex antiqua conſuetudine ſubiectas affirmat; nec probatur ei quod ſtatuerat Synodus Taurinenſis: quo magis miror aliud ſtatim Bonifacio viſum. Nam cùm Patroclus Arelatenſis, cui impensè fauerat Zoſimus, Epiſcopum in Lutuuenſi primæ Narbonenſis ciuitate conſtituiſſet, Patrocli decretum reſcidit Bonifacius in epiſtola ad Narbonenſem Metropolitanum; eiuſque exemplo mox cùm Hilarius, qui

Arelatenſem vrbem edicto Conſtantini non ita pridem Galliarum metropolim factam intellexerat, graues ob ipſum etiam Galliarum primatum controuerſias excitauiſſet, Magnus Leo ſumma animi contentione reſtitit, elatoſque eius ſpiritus ita contudit, vt ipſum etiam Metropolitani honorem illi ademiſſe videretur: quod oſtendit eius epiſtola xciij. in editione Romana ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis. Nec verò dubites Hilarium magni demùm nominis, & eximiæ ſanctitatis virum Epiſcopum Arelatenſem fuiſſe; neque te fallat πολυμαθέστατος Auguſtinus, qui Viennenſem vocat in epit. iur. Pontif. nam extat alia eiuſdem argumenti epiſtola ad Epiſcopos Galliarum inter Eccleſiæ Viennenſis monumenta, quæ apertè conuincit eum Arelatenſi præfuiſſe Eccleſiæ, vt & celeberrima illa Theodoſij conſtitutio de ordin. Epiſcop. Et ſunt hæc certè: ſed nihilominùs turbine illo & ſubita tempeſtate proſtrata non eſt Arelatenſis Eccleſiæ gloria, verùm ijs ipſis initijs & fundamentis excitata ſic demùm creuit (quod ſine Pontificum fauore fieri nunquam potuiſſet) vt Iuſtiniani & Gregorij Magni temporibus primas in Gallijs obtineret: ad extremum tamen, vt omnium eſt rerum viciſſitudo, ſumma illa dignitas paulatim imminuta concidit; quod probatur his Gregorij VII. uerbis epiſt. ij. lib. vj. *Arelatenſis Eccleſia*

*non ſolùm à beato Gregorio Doctore dulcifluo, ſed etiam à pluribus eius ſanctis anteceſſoribus, cùm haberet vicem Sedis Apoſtolicæ, vt omnes Epiſcopos totius regni Francorum, quod tunc latiùs extendebatur, ad Concilium conuocaret, eoſque in iudicio conſtrinxerit (ſine cuius licentia nullis ex ſupradictis Epiſcopis longè à ſuo Epiſcopatu fas erat abire) poſt aliqua tempora pro quibuſdam cauſis prædicta poteſtas & authoritas ceſſauit.*

De Hiſpaniarum Primate nihil ante Gothorum tẽpora certi habemus. Hiſpalis Bæticæ metropolis eſt, cuius Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Vicarium conſtituit Simplicius Pontifex Max. epiſt. j. nec ideò tamen parta illi primatus dignitas. Regia hæc olim Vandalorum, ſed poſtquàm Gothi ditione Hiſpaniæ potiti ſunt, inter omnes eius ciuitates longè præſtitit Carthaginenſis prouinciæ vrbs Toletum noui regni caput. Rodericus lib. iij. cap. xxiiij. (*Hiſpalis*) *ante Gothorum aduentum à Silinguis Vandalis vrbs regia habebatur, ſed Gothi ab ea Curiam mutauerunt in Toletum.* hinc Toletum vrbis regiæ, & Epiſcopus Toletanus Primatis nomen aſſumpſit; de qua dignitate ita meminit Rodericus lib. ij. cap. xxj. vbi de Chindaſuinto Rege loquitur: *Iſte à Romano Pontifice obtinuit priuilegium, vt ſecundùm beneplacitum Pontificum, Hiſpanorum primatiæ dignitas eſſet Toleti, ſicut*

*fuerat*

*fuerat ab antiquo.* Nec deſunt tamen qui primatum Hiſpaniarum ab Eccleſia Hiſpalenſi in Toletanam tranſlatum arbitrentur: mira de huius primatus origine & progreſſione narrantur.

*Debita ſit patriæ libertas iſta, ſed omnis*
*In vero mihi cura.*

Ad regnum peruenit Chindaſuintus Æra Dcxxc. ante quod tempus nullum huius dignitatis veſtigium: non enim de Hiſpaniarum primatu, ſed de metropoli Carthaginenſis prouinciæ quæſtio erat in Synodo Toletana, quæ Æra Dcxlviij. ſub Gundemaro congregata fuerat, vt ex eius verbis perſpicuè dignoſcitur; at poſteà Æra Dccx. cùm regnum obtineret Vuamba, noua Eccleſiaſticarum prouinciarum diuiſio edita, in qua Quiricus Archiepiſcopus Toletanus Primatis nomine ornatus eſt. Demùm Æra Dccxix. in Concilio Toletano xij. can. 6. ſtatutum, vt Toletanus omnes Hiſpaniæ Epiſcopos à Principe electos probaret, eoſque certum eſt ex omnibus Hiſpaniæ prouincijs frequenter ad Synodos Toletanas conueniſſe; ſed & aderant ipſi Narbonenſis prouinciæ Patres nullo iure, regia tantùm authoritate coacti, vt Innocentius Pontifex Max. profitetur epiſtola ad Petrum Compoſtell. Archiepiſc. his verbis: *Conſtat Narbonenſem per multa tempora veniſſe ad concilia Toletana, nec tamen Toletana metropolis aliquid iuris habuit in*

*Eccleſia Narbonenſi, ſed mandato Regum illa fiebant; quod magis violentum, quàm iuſtum præſumitur extitiſſe.* Quin & prouincia illa quia Gothicæ ditionis finibus continebatur, citerior eſt Hiſpania appellata, vt teſtatur hic locus ex Vuambana deſcriptione in colleꝭt. Concil. Hiſpan. *Prouinciam quoque Galliæ quæ Hiſpania citerior dicitur, ſibi rebellantem ſubiugauit.* Et ex hoc fonte fluxit poſteà fictitia & commentitia illa Hiſpaniarum diuiſio, Conſtantino, vt aiunt, authore, ex antiquo bibliothecæ Toletanæ codice deſcripta, quà prima Narbonenſis, & eius ciuitates comprehenduntur. Sed an quiſquam ita parum cautus & intelligens, vt in re tam aperta fucum ſibi fieri, & Gothica pro Romanis obtrudi patiatur? Nullus Concilijs Toletanis Toloſæ (quam Narbonenſis tamen prouinciæ vrbem eſſe non ambigitur) Epiſcopus vnquam ſubſcripſit; atque adeò clariſſima hæc ciuitas Gothici regni domicilium, occiſo in acie Alarico, fuſis fugatiſque eius copijs iam in Clodouei manus venerat. Iſidorus in chronico: *Alaricus tandem prouocatus à Francis in regione Pictauienſis vrbis prælio inito extinguitur, eoque interfecto regnum Toloſanum occupantibus Francis deſtruitur.* Conuenit illi cum Iuone qui hæc etiam in chronico: *Clodoueus milliario decimo à Pictauis vrbe cum Alarico Rege pugnam iniit, eumque*

*vicit & occidit, ſibique ſubegit Toloſam, Santones, omnèmque Aquitaniam.* Quod (vt ex Iſidori verbis facilè intelligitur) circa Æram Dxlv. contigit, & longè ante Chindaſuinti regnum, cùm nondum Epiſcopi Toletani poteſtas ſe altiùs extuliſſet: hoc autē tēpore conuocatam j. Aurelianēſem Synodum oſtēdit Clodouei epiſtola, qua ſignificat Chriſtianiſſimus Rex quod ab eo ſtatutum fuerat priuſquam in hoſtium fines inuaderet. Celebratum tamen poſt inſignem illam victoriam Concilium dubitari minimè poteſt, cùm in eo conſederint Epiſcopi Burdegalenſium, Xantonum, Caturcorum, Auſchiorum, Ruthenenſium, Albigenſium, (ſic in eius Synodi actis, non Abrigentium legendum eſt) & alij, quorum ciuitates Gothis parebant: nec defuit etiam ipſe Antiſtes regiæ vrbis Toloſæ. Ecquis autem ita credulus, vt exiſtimet tot Epiſcopos ignoti Principis dicto audientes huc per tela, per hoſtes contendiſſe; quod niſi extincto belli metu vix aut nullo modo fieri potuit. Et obſeruandum Toloſam in ea Synodo metropolim appellari: ita enim ſubſcripſit illius Antiſtes: *Leontius Epiſcopus Toloſanæ metropolis.* Hæc igitur Gothorum imperio liberata antiquam reiecit, & abdicauit metropolim, quæ in hoſtium poteſtate remanſerat; niſi quis eam ſimul atque regium gentis Gothicæ ſolium accepit, metropolim factam arbi-

tretur; Gothis quippe cùm Aquitania conceſſa fuerat: Iſidorus in chronico Æra ccccliiij. quo tempore labentis Imperij molem ſuſtinebat Honorius: *Data* (à Conſtantino Patricio) *Gothis ob meritum victoriæ ad habitandum ſecunda Aquitania vſque ad Oceanum cum quibuſdam ciuitatibus confinium prouinciarum.* in quibus ſine dubio Toloſa, quam idcircò captam ait Rutilius, qui ſub Honorio præcipuis dignitatibus functus eſt:

*Errantem Tuſcis conſidere compulit agris*
*Excolere externos capta Toloſa lares.*

Idacius in chronic. lib. iij. *Temporibus Honorij regnum Gothorum bifaria diuiſione partitur, qui in Jtalia conſederunt ditioni Jmperij ſe tradunt, reliqui Aquitania prouincia ciuitate Toloſa eligentes ſedem Regem eligunt Ataulfum.* Itaque tunc metropolis fuit Toloſa, ſed ſine prouincia, quam longo poſt tempore à Ioanne XXII. demùm obtinuit. Nec verò nouum, vt duæ reperiantur in eadem prouincia metropoles: Nicomedia primùm totius Bithyniæ metropolis extitit, verùm Niceæ in eadem prouincia hunc deinde honorem Valentinianus & Valens conceſſerunt; hac tamen lege, vt nihil mutaretur in prouinciæ forma: quam in ſententiam extant duæ Principum illorum conſtitutiones in actis Concilij Chalcedonenſis act. xiij. quibus acceſſit hæc ipſius Synodi

ſententia : *Authoritatem quidem metropolitanæ inter Eccleſias prouinciæ Bithyniæ Nicomedienſis reuerendus habeat Epiſcopus, habente Nicæno honorem Metropolitani tantummodò, ſubiacente autem ad exemplum aliorum Epiſcoporum prouinciæ Nicomedienſi: hoc enim viſum eſt ſancto Concilio*. Sed vetus nempe fuerat ea de re inter duas illas ciuitates contentio, quam indicat Dio Chryſoſtomus his verbis ad Nicomedienſes orat.xxxviij αὐ γὰρ τὸ μὲν τῆς μητροπόλεως ὑμῖν ὄνομα ἐξαίρετον, ἦ, τὸ δὲ τῶν πρωτείων κοινὸν ἦ, τί κατὰ τοῦτο ἐλαττοῦσθε. Nec certè Valentinianus & Valens huius authores beneficij Nicæam priùs metropolim appellatam inficiantur, nec Ammianus veretur eam in Bithynia matrem vrbium vocare lib.xxvj. In eadem quoque prouincia Chalcedon poſteà à Martiano metropoleos nomen ipſo Chalcedonenſi Concilio approbante impetrauit; ſed nihil præter inane nomen, quod & in colonijs quondam obſeruatum arguit l. 1. de cenſib. Sed redeo vnde declinauit oratio. De Hiſpaniarum primatu certauit aliquando Bracarenſis Epiſcopus cum Toletano; contentionis cauſam attingit Vaſæus in chronico. Fuit etiam Toletano apud Innocentium III. non ſolùm cum Bracarenſi, ſed alijs etiam regni Gothici Metropolitanis controuerſia, cuius acta ex bibliotheca Toletana nuper in lucem prodierunt. Legitur denique in

codice Fuxiano Toloſæ epiſtola Innocentij III. ad Rodericum Toletanum Archiepiſcopum, qua primatus ille confirmatur, de quo tamen lis ſub Honorio Innocentij ſucceſſore renouata eſt cap.7. de in integr. reſtitut.

Britanniarum verò metropolis ab antiquis authoribus celebratur Eboracum, ſed in ea diœceſi vix ego quenquam ante Auguſtinum Primatis honore functum exiſtimo; is eſt qui poſt Imperij excidium fœlicibus Maximi Gregorij auſpicijs ferociſſimam gentem teterrima ſuperſtitione liberauit, & extinctum in toto illo tractu antiquæ pietatis cultum excitauit. Quo tamen tempore Edilbertus Cantij Rex (nam Britanniæ iam in regium dominatum ceciderant) Auguſtinum honorificè excepit, Durouernum, vt ſcribit Beda lib. j. hiſt. Eccleſiaſt. princeps erat ciuitas, & totius regni metropolis; nunc Cantuaria appellatur, in qua vt Eccleſiaſtica, & regia dignitas mutua ſe luce illuſtrarent, Britannici primatus Sedes prudenter videtur conſtituta. Verùm quia Eboracum Britanniarum metropolis primùm fuerat, non æquum viſum eſt Gregorio, vt recens fortuna priſtinæ penitùs memoriam obrueret, & vetus metropolis nouæ cederet, ſed ambæ pari potiùs iure vterentur: ita tamen vt viuo Auguſtino, qui ſummam rerum iam ſuſceperat, Britanniarum primatum diuidi

noluerit: eius verba ſunt in epiſtola ad ipſum Auguſtinum Anglorum Epiſcopum lib. xij. *Eboracenſem Epiſcopum tuæ fraternitatis diſpoſitioni volumus ſubiacere; poſt obitum verò tuum ita Epiſcopis quos ordinauerit præſit, vt Londonienſis Epiſcopi ditioni nullo modo ſubiaceat. Sit verò inter Londoniæ & Eboracæ ciuitatis Epiſcopos in poſterum honoris iſta diſtinctio, vt ipſe prior habeatnr, qui primus fuerit ordinatus.* vbi quod de Londonienſi Epiſcopo ſcribitur, de Cantuarienſi accipiendum eſt, vt monet Neubrigenſis lib. v. cap. x. verùm illuſtrior poſteà videtur fuiſſe Cantuarienſis Epiſcopi dignitas, vt demonſtrant Synodales literæ, quas Beda lib.iiij.cap.xvij. edidit cum hac ſubſcriptione: *Præſidente Theodoro gratia Dei Archiepiſcopo Britanniæ Inſulæ & ciuitatis Dorouernis.* Et huc pertinent laudatæ à rerum Britannicarum ſcriptoribus Bonifacij V.& Honorij ad Iuſtum, & Honorium Cantuarienſes Epiſcopos epiſtolæ, quibus Durouerniæ ſeu Cantuariæ primatus in omnes Britanniæ Eccleſias confirmatur: vnde & eleganter Cantuarienſis Epiſcopus alterius orbis Patriarcha dictus eſt; quanquam manſit diu controuerſia inter ſummos illos Antiſtites, vt pleniùs diſſerit Neubrigenſis lib. v.

*TRES GALLIARVM PRIMATES agnoſcit Otto, reiecta eius ſententia. A Romanis prouinciarum deſcriptionibus originem habent Galliæ primatus. Treuerenſis in dubium reuocari non poteſt. Eius tamen authoritas in Belgica ſecunda parum cognita. Lugdunenſis Epiſcopus non Galliarum, ſed quatuor tantùm Lugdunenſium prouinciarum primatum obtinet. Vna primùm Lugdunenſis Proconſularis. Omnes Lugdunenſes prouinciæ ad vnius formam reuocatæ. Bituricenſis vtriuſque Aquitaniæ, & Nouempopulaniæ Patriarcha. Narbonenſis primatus aſſeritur. Vnde Vienna Senatorium nomen acceperit. Ado reprehenditur. Romanæ, & prouincialis Curiæ Senatores. An quinque vel octo fuerint Viennenſes prouinciæ? Primatus Viennenſis, de quo edita Pontificis Max. Silueſtri nomine vetus epiſtola expenditur. Quæ primæ fuerint prouinciæ. Vtriuſque Germaniæ primatus iure optimo Moguntino Epiſcopo delatus. Nullum inter primas, & alias prouincias diſcrimen. A Sedis Apoſtolicæ authoritate primatus omnes repetendi.*

Hacte

## CAP. V.

HACTENVS meas de re antiquiſſima coniecturas expoſui: ſed priuſquàm finem faciam recenſendi mihi ſunt Primates Gallici quorum adhuc viget gloria. Otto Friſingenſis tres tantùm memorat lib. vj. cap. xxx. Treuerenſem, Lugdunenſem, & Bituricenſem: *Tribus* (enim ait) *Gallijs tres Primates præeſſe volunt, Belgicæ Treuerenſem, Aquitaniæ Bituricenſem, tertiæ Lugdunenſem.* Sed errat Friſingenſis, aut quiſquis huius ſententiæ author: nam prima licet hæc fuerit diuiſio Galliarum, tamen naſcente adhuc Imperio, cùm nulli prorſus Patriarchæ aut Primates eſſent, quatuor in eis prouinciæ ab Auguſto inſtitutæ ſunt, ex quibus poſteà decem & ſeptem propagatas alibi diximus: ſed & nullum iam in tota illa diœceſi Imperij Romani veſtigium ſupererat, cùm Bituricenſis aut Lugdunenſis Primatis nomen primò auditum eſt: quod ille, opinor, non inficiabitur qui vnum Galliarum Metropolitanum atque Primatem Arelatenſem Epiſcopum nouerit à Gregorio Magno appellatum, eo tempore quo iam proſtrato & iacente Imperio Francorum potentia validas ſatis radices egerat. Quamobrem ego dignitates haſce vix ante occaſum Are-

latenſis primatus cognitas arbitror, quamuis à Romanis prouinciarum deſcriptionibus, quas nemo neget in Gallijs ab Eccleſia quondam obſeruatas, ortum videantur habuiſſe: adeoque ſi quis primarum prouinciarum metropolibus honos debetur, is profectò Auguſtæ Treuerorum maximè tribuendus ſit, cuius Epiſcopo hac ratione ſaltem primatus vtriuſque Belgicæ eripi non potuit. Verùm Remigij ſanctitas, Chriſtianiſſimi regni cunabula, & Romanæ legationis fauor tantam olim Remorum Epiſcopo gratiam potuerunt & authoritatem conciliare, vt Treuerico iura Primatis in ſecunda Belgica retinere vix licuerit: vnde forſan Treuerorum Eccleſia Remenſis ſoror non mater appellata in Remigij teſtamento; quo modo item loquutus eſt Hincmarus Remenſis Epiſcopus apud Aimoinum lib. v. cap. xxj. Primatis tamen authoritatem aliquando in Belgica ſecunda receptam teſtis Gregorius VII. Pontifex Max. in epiſtola ad Manaſſem: *Remenſis cui præſides Eccleſia quodam tempore Primati ſubiacuit, & ei vt magiſtro poſt Romanum Pontificem obediuit.* Nec diſſentit Hincmarus epiſt. vj. qui Pontificum conſtitutionibus eam Sedi Romanæ ſubiectam, & ab alia poteſtate liberatam dixit.

De Lugdunenſi dubitatio nulla eſt: Patriarcha ille à Gregorio Turonenſi, & in Concilio Matiſco-

nenſi vocatur. Sed non defuerunt qui totius Galliæ primatum ei tribuerent : idque olim in Almardi Epiſcopi electione non prætermiſſum, vt probatur his verbis: *Lugdunenſis Eccleſia plus cæteris Galliarum Eccleſijs, quarum primatum, vt inſtitutis Patrum legitur, habet, bonitatem Dei magnificat.* Ex quo Guillelmus Brito Philipp. xij.

*Et Lugdunenſis, quo Gallia tota ſolebat,*
*Vt fama eſt, Primate regi, cauſaſque referre*
*Difficiles; vt ibi lis vltima litibus eſſet.*
*Nec mittebatur Romam lis vlla, niſi quam*
*Lugdunenſe forum per ſe finire nequiſſet.*

At certè vereor ne fama hæc parum idoneos habeat authores: nec enim quiſquam ita ſe credulum præbeat, vt prima adhuc ſurgentis Eccleſiæ ætate Galliarum primatum Irenæo delatum putet; non ea ſanè, vt quibuſdam viſum eſt, Euſebij mens: γράφη (inquit ille lib. v. cap. xxij.) τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν ἃς Ειρηναῖος Επισκόπει. quæ Metropolitanum tantùm, non Primatem indicant : nam παροικίαι Epiſcoporum ſunt territoria can. Apoſtolorum. 14. & 34. can. 18. Con. Ancyr. can. 5. Concil. Antioch. can. bonæ rei. 11. quæſt. 6. An verò tantum Eccleſiæ ſuæ decus, ſi res ita habet, prætermiſiſſet Ioannes Epiſcopus Lugdunenſis in celebri ea contentione, quæ illi fuit cum Senonenſi? vna profectò erat primùm Lugdunenſis prouincia, quam Pro-

conſul adminiſtrabat, vt docet hæc inſcriptio: Q. EPIDIO L. F. POL. RVFO. LOLIANO. PRO. COS. PROVINCIÆ LVGDVNENSIS COMITI IMPP. SEVERI ET ANTONINI AVGG. &c. Et quidem Seueri temporibus ſumma floruit eruditione & ſanctitate Irenæus; ſed ex vna demùm quatuor prouinciæ deductæ ſunt: primæ metropolis manſit Lugdunum; nec alia, credo, inueſtiganda origo Lugdunenſis primatus, cuius diœceſis ita deſcribitur in ſupplemento Sigeberti: *Hæc Sedes habet primatum ſuper tres Archiepiſcopatus: prima enim Lugdunenſis, id eſt, Lugdunum ſuper Rhodanum: ſecunda Lugdunenſis ſuper Sequanam, id eſt, Rothomagenſis: tertia Lugdunenſis ſuper Ligerim, id eſt, Turonis: quarta Lugdunenſis, id eſt, Senonis ſuper Icaniam.* Quibus conſentiens quod Gregorius lib.vj.epiſt.xxxiiij. *Sedes Apoſtolica Præſules Archiepiſcopos, & Primates ordinauit, cuius conſtitutione & authoritate Lugdunenſis Eccleſia primatum ſuper quatuor prouincias, videlicet Lugdunenſem, Rothomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem per annorum longa curricula obtinuiſſe cognoſcitur.* Hunc porrò primatum à ciuitatum catalogis, & antiquis Galliarum Notitijs repetit Iuo doctiſſimus Carnotenſium Epiſcopus epiſt. cxviij. *De veteri querela, quam habet aduerſus*

*Pag. 404. in edit. Grut.*

*Senonenſem Eccleſiam Lugdunenſis Eccleſia, laudo & conſulo, vt ſi qua habetis priuilegia Apoſtolica manu roborata, vel ſcripta authentica, quæ primatum Lugdunenſis Eccleſiæ, quem aliquando ex catalogis ciuitatum coniicimus extitiſſe, ab Eccleſia veſtra remoueant; & libertatem, quam eidem Eccleſiæ deſideramus, defendant: oſtendatis ea confratribus noſtris.* Quò referri poteſt quod & ſcribit Sidonius de Patiente huius ciuitatis Epiſcopo epiſt.xxv.lib.iiij. *Caput eſt ciuitati noſtræ per ſacerdotium, prouinciæ verò per ciuitatem.* Imò nec aliter ſuam tuetur dignitatem Epiſcopus Lugdunenſis in epiſt. ad Iuonem: *Siquidem cùm prima Lugdunenſis prouincia ſit, nihilominùs ſecunda, tertia Lugdunenſis prouincia eſt: cùm ergo primæ Sedis Lugdunenſis Præſul pro ſuis aut illorum neceſſitatibus ſecundæ, vel tertiæ Præſules vocat, non ad alienam prouinciam trahit, ſed rationabili & iuſto ordine ſeruato, inferiora membra ad caput reuocat.* & rurſus: *Primæ Sedis Pontifex ad ſecundam, tertiam, vel fortè quartam prouinciam progrediens prouinciam non excedit.* Quatuor ergo Lugdunenſes ad veterem reuocat vnius prouinciæ formam, cuius caput ipſum Lugdunum vrbs antiquiſſima, atque ideò rectè μητρόπολις ἐπίσημος dicta à Ptolemæo. Sed miror certè Ioannem acerrimum Eccleſiæ Lugdunenſis propugnatorem maximam

Sequanorum prætermiſiſſe; nunquam venerat illi fortaſſe in manus ea Galliarum Notitia, qua Sequanorum prouincia quinta Lugdunenſis vocatur.

Iam hoc exemplo, cùm Biturigum ciuitas primæ ſit Aquitaniæ metropolis, haud iniquum etiam videatur, vt Aquitaniæ ſecundæ, & Nouempopulaniæ, quæ tertia Aquitania eſt, Metropolitani Bituricenſem Epiſcopum Primatem ſuum ſuſpiciant. Patriarcham eum vocat Nicolaus Pontifex Max. in can. conqueſtus. 9. q. 3. ſicut Primatem Guillelmus Brito lib. xij.

*Necnon Biturigus Turono cum Præſule Primas.*

Taceo litem Bituricenſi Epiſcopo à Burdigalenſi olim illatam: vterque enim Biturigûm ſe Epiſcopum contendebat.

Sed quis non ægrè ferat à Nicolao Narbonenſem Archiepiſcopum ſubijci Bituricenſi? ſuas ille ſanè retineat ſibi Aquitanias, & primæ Narbonenſis Epiſcopum in duas Narbonenſes eodem vti iure patiatur, nec iuſtum hunc antiquiſſimæ prouinciæ honorem inuideat: iacuit illa Gothorum quidem dominatu oppreſſa, eiuſque Antiſtes Toletano obſequi aſſuetus ita priùs animum demiſerat, vt, non dicam nihil eximium, ſed ne vix quidem ingenuo homine dignum animo conciperet: οὐ χρὴ ποτ' ἄνδρα δοῦλον ὄντ' ἐλευθέρας γνώμας διώκειν· nam quid à fæda ſeruitute differt humilis &

abiecta timiditas? ego non dubitem Bituricenſem, cùm varijs Francorum victorijs cæſi pulſique barbari Gallia excederent, voluiſſe fines ſui primatus in vicinam quoque prouinciam nullis fultam & ſubnixam præſidijs ſenſim proferre: ſed poſteà Narbonenſes Epiſcopi, vbi Principum noſtrorum benignitate receptam ſenſerunt libertatem, & lux menti reddita eſt, cœperunt ſtatim de primatu ſuo vindicando cogitare, eorumque querelis & precibus Pontificum aures non difficulter patuerunt. Vidimus Vrbani II. decretum, cuius hîc partem duximus apponendam: *Primatum Aquenſis metropolis, quæ eſt Narbonenſis ſecunda, & quidquid dignitatis vel honoris eandem Narbonenſem Eccleſiam antiquitùs iure habuiſſe conſtiterit, nos quoque præſentis decreti pagina inconcuſſum & inuiolabile perpetuò manere decernimus ann. M. xcvij. indict. vj. pontificatus Vrbani ij. Papæ anno x.* & rurſus in alia eiuſdem Pontificis ad Hugonem Apoſtolicæ Sedis Vicarium epiſt. *F. noſter Narbonenſis Epiſcopus conqueſtus eſt ſuper Aquenſi Epiſcopo, quòd ei iure primatus obedire contemnat; vnde fraternitati tuæ præſentia ſcripta dirigimus præcipientes vt eundem Archiepiſcopum iuxta Apoſtolicæ ſedis inſtituta Primati ſuo obedire compellas.* Quæ omnia Epiſcopum Narbonenſem ſuo quodam iure hanc dignitatem aſſequutum non

obſcurè ſignificant. Sunt prætereà in Eccleſiæ Narbonenſis ſcrinijs Paſchalis I I. qui Vrbano ſucceſſit, & aliorum Pontificum, vt Martini & Benedicti reſcripta, quibus omnis Epiſcopi Bituricenſis authoritas ab Eccleſia Narbonenſi remouetur.

Vienna, cuius Epiſcopus Primatum quoque numero inſeritur, celebris eſt Allobrogum ciuitas, nobiliſſimæ prouinciæ metropolis, & antiqua iuris Italici colonia l. vlt. de cenſib. vrbs olim Senatoria. Claudius Imperator in oratione habita in Senatu: *Ornatiſſima ecce colonia valentiſſimaque Viennenſium, quàm longo tempore Senatores huic Curiæ confert?* inde Senatorium nomen. Nam quod ſcribit Ado in chron. *Hanc Romani, Senatu compoſito qui Gallias diſponeret, Senatoriam appellare voluerunt.* mihi probari non poteſt. Macte virtute doctiſſime Ado: quis de Senatu illo Galliarum omnium moderatore aliquid vnquàm præter te aut legit, aut inaudiuit? Nemo eſt certè mediocriter literatus, qui ampliſſimum ordinem, cuius vtraque Roma ſedes fuit, huic quoque ciuitati conceſſum; vel à municipali Curia, & paruo Decurionum Senatu tot florentes prouincias, quæ ſuos habuerunt Rectores, adminiſtratas exiſtimet. Haud ignoro tamen & eruditiſſimum virum Auitum de Viennenſi Senatu in quadam Homilia ſic

lo

loquutum: *Tunc numeroſis illuſtribus Curia florebat.* Cùm enim facilè tum pateret (vt ait Rutilius) *peregrinæ Curia laudi*, qui ex prouincijs in vrbis Romę Senatum lecti fuerant, ſæpè vtriuſque, Romanæ & prouincialis Curiæ Senatores dicebantur, licet munerum vacationem in patria, aut iure, aut Principis beneficio conſequuti eſſent. Auſonius Eidyll.xxx.

*Curia me duplex & vterque Senatus habebat,*
*Muneris exortem, nomine participem.*

Et in Burdigala:

*Diligo Burdigală, Romam colo; ciuis in hac ſum,*
*Conſul in ambabus.*

Quod de Palatio Viennenſi habetur apud Seuerum Sulpitium & Gregorium Turonenſem prætermitto; illud tantùm de prouincijs Viennenſibus attingam, in quadam Notitia Galliarum quinque tradi, in alia octo; quod veterum tamen monumentorum authoritate manifeſtò refellitur: nam antiquiores Galliæ deſcriptiones, Marcellinus, Rufus, Index prouinciarum, & ipſa Imperij Notitia vnam tantùm Viennenſem agnoſcunt: & nemo, arbitror, adeò veri accipiendi inſolens, vt primas, ſecundas, & tertias Aquitanias, aut Narbonenſes, in plures rurſus Viennenſes diuiſas exiſtimet. Sed nec conuenit ſatis cum illis octo prouincijs, quod de Viennenſi Septem prouinciarum primatu narratur

in antiquitatibus Viennenſibus; in quibus vetus quædam legitur Silueſtri Pontificis Max. Epiſtola *ad Epiſcopos Galliarum, & Septem prouinciarum*; quæ Zoſimi eſt apud illuſtriſſimum Baronium tom.V. vtraque enim ijſdem verbis conſcripta: iubet hæc vt ab Epiſcopo Arelatenſi, illa vt à Viĕnenſi ex omnibus Galliarum prouincijs Formatæ petantur. Adiecta ſunt in Codice Viennenſi nomina Septem prouinciarum, quibus (vt aiunt) Viennenſis primatus diœceſis continebatur. Præclara hæc profectò: ſed quî fieri potuit, vt in controuerſia quam Viennenſis Epiſcopus cum Arelatenſi habuit, ſilentio prætermiſſa fuerint? Quis ea Taurinenſis Concilij Patres? quis Zoſimum, Bonifacium, & Leonem Pontifices doctiſſimos? quis ipſum denique Viennenſem Epiſcopum, cuius res agebatur, latere potuiſſe cenſeat? Tum verò quàm auget dubitationem Index Septem prouinciarum, epiſtolæ ſubiectus? in quo duæ ſunt Narbonenſes; quamuis vnam tantùm longo poſt tempore agnoſcat Rufus; & in prima Synodo Arelatenſi, quam ſub Silueſtro celebratam conſtat, vna etiam non duæ memorentur. Accedant quæ de Septem prouincijs, & primatu Arelatenſi iam à me ſcripta ſunt. ſatius ergo hanc Zoſimo Epiſtolam tribuere: etenim quod ea cautum eſt, ne Galliarum Epiſcopi ſine Formatis Arelatenſis Epiſcopi longiùs abſce-

derent,confirmatur à Gregorio VII. epiſt. ij. lib. vj. vnde coniecturam facio quempiam, qui celebrem illam de Arelate Septem prouinciarum metropoli Cōſtitutionem (de qua hac & ſuperiori Diatriba iam ſatis multa) non à Galliarum Tyranno, ſed ab ipſo Conſtantino Magno promulgatam falsò crediderat, Zoſimi Epiſtolam in gratiam Viennenſis Epiſcopi traductam; vt maior eius eſſet authoritas, Silueſtro, qui tum ad Eccleſiæ gubernacula ſedebat, aſcripſiſſe. Sed nihil ego tamen de antiquiſſimæ Eccleſiæ gloria detractum volo; non deſunt illi præſidia quibus dignitatem ſuam firmet & muniat: nam Alpes Graiæ ſeu Pœninæ (quarum metropolis vrbs Centronum ſeu Tarantaſia) in primatu Viennenſi à ſummis Pontificibus conſtitutæ ſunt, vt ſcribit Leo III. in epiſt. ad Volferium Epiſcopum Viennenſem. Verumenimuerò idem illi quod alijs Gallicis Primatibus ius, vt nempe diuiſa Viennenſi prouincia in Concil. Taurinenſi, primæ meritò honorem obtinuerit quæ integræ prouinciæ metropolis extiterat: primæ enim (licet aliud Iuſtiniano fortè placuit in Armenijs Nouell. xxx.) ſæpiùs appellantur quæ in antiquarum metropoleon ditionibus remanſerunt. Ita nimirum cùm vna eſſet Palæſtina, quæ metropolim habuit Cæſaream, & ex ea ſecunda & ſalutaris abſciſſæ & auulſæ eſſent; primæ nomen accepit

pars illa cui præfuit Cæſarea: nec aliud reperies in Cappadocia, quam à Valente primùm diuiſam, & in tres demùm prouincias à Iuſtiniano diſtractam alio loco oſtendimus. Sirmium Illyrici caput in prima etiam Pannonia ſitum. Sed res, ni fallor, ex Belgicis, Lugdunenſibus, Aquitanicis, & Narbonenſibus ſatis perſpecta eſt. primæ igitur non fuerunt prouinciæ(vt vir doctiſſimus exiſtimauit)quæ proximiores erant vrbis Auguſtæ.

Poſtremò Germania in duas prouincias diuiditur: primæ metropolis eſt Moguntium in omnibus Galliarum Notitijs; nec repugnat Ammianus, à quo inter præcipua Germaniæ primæ oppida numeratur; hæc ducis limitanei ſedes; hæc poſteà Francici Imperij domus *toto*, vt ait Guntherus, *notiſſima regno*. Gotfridus Viterbienſis in chron. part. xvij. de Pipino:

*Inde Moguntinas patriæ remeauit ad oras:*
*Regia Francorum quæ tunc erat inclyta ſedes.*

Itaque ſi quis ad ea reſpiciat quæ in Galliarum prouincijs paſſim obtinuere, & illi quoque ciuitati vtriuſque arbitretur Germaniæ iure ac meritò primatum deberi, quem tandem etiam conſequuta eſt, vt memoriæ prodidit Marianus Scotus hoc loco: *Pipinus in ciuitate Sueſſionum à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo in Regem vnctus regni honore ſublimatus eſt, & deinde ob id poſt Papam*

*ſecundus habetur Moguntinus Archiepiſcopus vſque in hodiernum diem.* Mariano ſuffragatur author vitæ Bonifacij cap. xliiij. *decreuerunt ijdem principes (* Carolomanus & Pipinus) *Eccleſiam Mogonciacenſem, quæ prius alteri ſubiecta erat, metropolim omnium in Germania poſitarum Eccleſiarum efficere, moxque legatione facta illud à Præſule Apoſtolico impetrauere.* Et Moguntinum quidem Epiſcopum, florente Imperio, Germaniæ primæ (quamuis aliter ſentiant omnes rerum Germanicarum ſcriptores) Metropolitanum fuiſſe non dubito: nam quis hanc vnam, non ſolùm in Galliarum diœceſi, ſed in toto ferè orbe Romano metropolim, ius ſuum non retinuiſſe crediderit. At enim vbi maieſtatis Romanæ nomen poſt in Germania extinctum eſt, formas ciuiles & Eccleſiaſticas perturbari illic facilè potuiſſe non inficior.

Sunt etiam tres aliæ in ampliſſima iſta Galliarum diœceſi prouinciæ: Alpes Graiæ & Pœninæ, Alpes maritimæ, & Maxima Sequanorum: quæ cùm ſingulares ſint primam ſedem non habent. Sed videndum nihilominùs, ne nos decipiant qui Gallicos primatus prouincialium formarum, & ciuilium adminiſtrationum exemplo egregiè confirmari arbitrantur: diuiſa enim prouincia, & ſub duobus Præſidibus conſtituta vna ampliùs cenſeri non poteſt. *In altera natus* (ait Macer) *ſi in alia*

*aſſideat, in ſua non videtur prouincia aſſediſſe.* l. 3. de offic. aſſeſſ. omneſque prouinciæ in Repub. eodem iure vtebantur, ita vt nullum eſſet inter primam, ſecundam, aut tertiam diſcrimen. Siquidem ciuitates à metropoli, metropoles prouinciarum à primaria totius diœceſeos vrbe, vt oſtendimus, tanquam à capite pendebant. Habuit & vnaquæque prouincia rectorem ſuum, Conſularem, Præſidem, vel Correctorem; quorum par æqualiſque fuit authoritas (eas excipio quæ à Proconſulibus regebantur) Præfectus prætorio, & eius Vicarius, in diœceſeos metropoli ius vice ſacra reddebant. Quamobrem vereor ne ſic in dubium reuocari poſſit quod à Ioanne primæ Lugdunenſis Epiſcopo dictum eſt: *Metropolitanum ſecundæ, tertiæ, vel quartæ cùm ad primam vocatur, ad alienam prouinciam non trahi.* At concedendum certè extincto Imperio, cum nullæ tunc eſſent metropoleon diœceſes, inſignes illos primarum prouinciarum titulos multum habuiſſe momenti ad iſtos honores adipiſcendos; quos Pontificum munere datos ſemper contendo: ab his enim veluti à ſancto auguſtoque fonte manant omnes Eccleſiaſticæ dignitates; eoque ſpectat Capitular. Caroli Magni cap. CCCXXXVI. lib. VII. Iactantur adhuc & plures Primates, vt Senonenſis, de quo Aimoinus lib. V. cap. XXIII. Rothomagenſis, Magdeburgenſis,

Colonienſis, & alij quos ſedis Apoſtolicæ Vicarios & Legatos fuiſſe cenſeo.

Meam ergo de Primatibus Gallicis breuiter & ingenuè, vt mos eſt meus, ſententiam expoſui: ſed ſi quid non ſatis meditatum exciderit, veniam dabunt ſanctiſſimi Antiſtites, quorum dignitas mihi ſemper erit antiquiſſima. Multa ſunt in eorum Archiuis & Bibliothecis recondita, ex quibus ſi quid probabilius aliquándo emergat, hæc retexere non pigebit.

*JACTA JN ECCLESIA AB Apoſtolis politiæ fundamenta. Eccleſiaſticæ prouinciarum formæ non rarò cum ciuilibus conueniunt. Jn Oriente ſuum quæuis ciuitas habuit Epiſcopum. Vetitæ ſanctiſſimis Conciliorum decretis prouinciarum diuiſiones. Summa Jmperatorum ea in re licentia. Tres Cappadociæ, & totidem earum Metropolitani. Tertia Cappadocia à Juſtiniano inſtituta. Gregorij Nazianzeni Jnterpres reprehenditur. Jnſignis Græcorum Jmperatorum audacia. Data Proculo Epiſcopo Maſſilienſi in quoſdam ſecundæ Narbonenſis Prouinciæ Epiſcopos poteſtas. Jmperatores Chriſtiani Pontifices appel-*

*lati. Eccleſiaſtica poteſtas à ciuili diſtincta. Ad tuendam Eccleſiæ dignitatem Principis authoritas neceſſaria. Suas habet formas ſeu* Τύπυς *Eccleſia. Magna Pariſienſis Epiſcopi modeſtia. Singulare Chriſtianiſſimorum Regum in retinenda Eccleſiæ politia ſtudium. Quid* προτύπωσις *in Nouell. cxv. explicatur. Quatuor Synodi Eccleſiæ diptycis aſcriptæ, cuius moris author Iuſtinianus. Summa Conciliorum authoritas.*

## CAP. VI.

NIHIL in orbe Eccleſiæ politia illuſtrius. iacta fuerant aureo Apoſtolorum ſeculo ταύτης μεγάλης συντάξεως fundamenta; tametſi ante ſtabilitum Chriſtianæ religionis cultum totius operis facies haud planè cognita: illud certè non negē eccleſiaſticas (quod tota hac diatriba ſatis perſpici poteſt) Diœceſeon, Prouinciarū, & parœciarum formas cum ciuilibus plerumq; conuenire: ob eamque rem non malè eas coniunxiſſe Nicomedienſem Epiſcopū act. XIII. concil. Chalced. vt aduerſus Antiſtitem Nicænum vtraque ſe auctoritate tueretur. *Memoratus* (inquit) *reuerendus Anaſtaſius, neque timorem Dei præ oculis ſumens, neque leges pietatis veſtræ reueritus confundit, & conturbat in Bithyniorum prouincia*

*abſque*

*abſque conſuetudine formas Eccleſiaſticas & Imperiales, quas tenuiſſe hactenus noſcuntur, inuadendo iura quæ nobis pietatis veſtræ legibus, & Eccleſiaſticis ſanctionibus collata ſunt.* Quamquam autem cautum fuerat in Concilio Sardicenſi auctore magno illo Oſio Cordubenſi Epiſcopo, qui ἀληθῶς Ὅσιος καὶ πατὴρ τῶν Ἐπισκόπων ab Athanaſio appellatur, ne humiles & obſcuræ ciuitates Epiſcopali ſede ornarentur; alia tamen fuit Concilij Chalcedonenſis ſententia in can. 17. εἰ δὲ καί τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίσθη πόλις ἢ αὖθις καινισθείη, τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις, καὶ τῶν ἐκκλισιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω. quæ iiſdem verbis referuntur can. 38. ſextæ in Trullo. Sed nimirum nulla in Oriente ciuitas erat quæ ſuum Epiſcopum non haberet, vt notauit etiam Vualfridus Strabo in lib. de reb. eccleſiaſt. *Fertur in Orientis partibus per ſingulas vrbes, & præfecturas ſingulas eſſe Epiſcoporum gubernationes.* noluit propterea à recepto more prudens Synodus recedere. At nihilominùs eodem Concil. Chalcedon. can. 12. ſeuerè & vehementer vindicatum eſt in Epiſcopos, quorum ambitioſis precibus prouinciæ diuiſæ, & duo in vna prouincia Metropolitani conſtituti fuerant: ἦλθεν εἰς ἡμᾶς, ὥς τινὲς παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς προσδραμόντες δυναστείαις, διὰ πραγματικῶν τὴν μίαν ἐπαρχίαν εἰς δύο κατέτεμον, ὡς ἐκ τούτου δύο μητροπολίτας

εἶ), ἐν τῇ αὐτῇ ἐπαρχίᾳ ὥρισεν τοίνυν ἡ ἁγία σύνοδος, τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτο τολμᾶσθαι παρὰ Ἐπισκόπου. ἐπεὶ τὸν τοιοῦτο ἐπιχειροῦντα ἐκπίπτειν τοῦ ἰδίου βαθμοῦ &c. atque hac de re quidem non diſſimilē habes Innocentij primi Pontif. Max. ſententiam in epiſtola xx. *quod ſciſcitaris vtrum diuiſis Imperiali iudicio prouinciis vt duæ metropoles fiant, ſic duo Metropolitani Epiſcopi debeant nominari, non verè viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſque aut diuiſiones perpeti quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator.* optimè prorſus & vt decuit ſapientiſſimum Eccleſiæ principem.

Sed vera equidem fatebor, quæcumque fuerint: non deſierunt Imperatores multa licentiùs ſibi arrogare, vt docet exitus celebris olim controuerſiæ inter Baſilium Cæſareæ, quæ vna primùm Cappadociæ fuit metropolis, Antiſtitem, & Anthimum Thyanæ Epiſcopum; quo, cùm diuiſa eſſet à Valente Imperatore Cappadocia, & ſecundæ metropolis facta Thyana; ſeque Baſilius tueretur priſcis Eccleſiæ moribus, Anthimus contrà formis ciuilibus, vt ſcribit Gregorius Nazianzenus in orat. de laudib. Baſilij: ὁ μὲν γὰρ (Anthimus) ἠξίου τοῖς δημοσίοις, καὶ τὰ ἡμέτερα συνδιαιρεῖσθαι. ὁ δὲ (Baſilius) τῆς παλαιᾶς εἴχετο συνηθείας, καὶ τῆς ἐκ τῶν πατέρων ἄνωθεν διαιρέσεως, vicit tandem iudicio Valentis Anthimus:

Nam & poſteà Gregorius ipſe Tyanenſem Epiſcopum in epiſtola lxxxviij. apertè Metropolitanum agnoſcit; vbi omni ſtudio ab eo contendit, vt Eccleſiæ Nazianzenæ, quæ in ſecunda tunc erat Cappadocia, & quam ob inualetudinem adminiſtrare non poterat, præficeret alterum; ſubiicitque demum hæc verba: εἰ μὲν ἄλλην τινὰ κεφαλὴν εἶχεν ἡ ἐπαρχία, πρὸς ἐκείνην ἔδει βοᾶν καὶ διαμαρτύρεσθαι. τῆς δὲ σῆς εὐλαβείας ὑπερκειμένης, πρὸς σὲ βλέπειν ἀναγκαῖον. φρόντισον τῆς σῆς ἐκκλησίας, ὃν βούλει τρόπον. Sed & cùm tertiam mox Cappadociam his adieciſſet Iuſtinianus, & Muciſſum, quam Iuſtinianopolim dici voluit, metropolim eſſe iuſſiſſet; id Eccleſia ſtatim ſequuta eſt, vt probant hæc Euphrantæ Tyanenſis, & Theodoſij Iuſtinianopolitani Epiſcopi in v. Synodo collat. v. *In illo tempore ſub Tyanenſi ciuitate erat & Dohara, & Nazianzus vſque ad tempora huius pij Imperij* (Iuſtinianum enim intelligit, cuius temporibus hanc Synodum congregatam nemo neſcit) *pijſſimus autem Imperator, cum Metropolitana iura dediſſet ciuitati, quæ quondam quidem Muciſſos nunc verò Juſtinianopolis nuncupatur, cum aliis ciuitatibus Doharam & Nazianzum ſubiecit ei.* ſic Euphranta. & ſtatim Theodoſius: *Verè omnia docuit veſtram ſanctam Synodum Euphranta religioſiſſimus, & ego enim hæc ſcio qui*

*& de illa prouincia ſum, & ſub mea gubernatione modò eſt Dobara & Nazianzus.* Ac manſit quidem etiam Tyana ſecundæ Cappadociæ metropolis vt confirmat hic ex eadem Synodo locus: *Epiſtolæ ſancti Gregorij demonſtrant quòd ad Theodorum religioſæ memoriæ Tyanenſem Epiſcopum, quæ Metropolis eſt ſecundæ Cappadociæ, ſcriptæ ſunt.* Sed in eo Concilio tamen ſubſcripſit, *Theodoſius Epiſcopus Juſtinianopolitanorum Metropoleos ſecundæ Cappadocum prouinciæ.* Et in vj. Synodo Theopempus, *Epiſcopus Juſtinianopoleos ſiue Moſtenorum* ( *Muciſſorum* potiùs ſcribendum ) *Metropoleos ſecundæ Cappadociæ.* Nam hanc etiam ciuitatem ſecũdæ Cappadociæ aſcribit Stephanus : Μούκισσος πόλις Καππαδοκίας β. Quod ſi ita eſt, vrbem ſibi cognominem Tyanæ præferre voluit Iuſtinianus ; ſed certè Muciſſum tertiæ Cappadociæ metropolim apertè vocat Interpres Gregorij Nazianzeni in funebri patris oratione: δευτέρας Καππαδοκίας μητρόπολις Τύανα καὶ τρίτης ὁ Μουσίκυσσος. τὴν γὰρ Καππαδοκίαν μίαν οὖσαν εἰς δύο ἕτερον, εἶτα πάλιν εἰς τρεῖς, ταῦτα δὲ πρὸς λύπην τοῦ ἁγίου Βασιλείου ἐποίει ὁ βασιλεὺς Οὐάλης. Fallitur ille in poſtremis verbis; & cum eo quoque iuris interpretum doctiſſimus: non enim, vt dictũ, tertiæ Cappadociæ author Valens, ſed Iuſtinianus. Iã ergo tres fuerunt, vt vides, Cappadociæ, & totidem illicò Metropo-

litani: non deſunt & alia eiuſmodi exempla. Et ſi quis fortè in Orientem oculos conuertat, omnes planè Eccleſiæ τύπους inclinante Imperio reuulſos videbit; magnamque in hac re Iſaci Angeli, & Alexij Comneni audaciam mirabitur; quantumuis eorum Conſtitutiones laudet & probet Balſamo in can. 12. Concil. Chalcedon. & can. 38. ſextæ in Trullo: nec aliter ſentiant ferè omnes Græci, inter quos primas tenet Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiſcopus; ſic enim ille in reſponſo ad Conſtantinum Dyrrachij Archiepiſcop. *βασιλεὺς ἀνάγει δὲ καὶ ἀπὸ ἐλάττονος τιμῆς εἰς μείζονα, δηλαδὴ ἀπὸ Ἐπισκοπῶν εἰς Μητρόπολιν, ἢ ἀνδρὸς ἀρετὴν ἢ πόλιν τιμῶν.* Ac nonnumquàm etiam ita à Principe Metropolitani honos dabatur, vt vnà cum eo qui beneficium acceperat extingueretur. Nicolaus Patriarcha ad Alexium Comnenum (ex quadam nempe ipſius conſtitutione, in qua de Metropolitani dignitate à Principe conceſſa agitur) *εἰ μή τι χρονικὸν ἴσως, καὶ προσώποις περιγραπτὸν τὸ τοιοῦτον δεδώρηται φιλοτίμημα παρά τινος βασιλέως.* Et mox de quodam Ancyræ Metropolitano: *ὑπομνήματί τε πέφρακται τοῦ μακαρίτου βασιλέως τοῦ Δούκα, ὅστις τὴν τοῦ βασιλείου ἐπισκοπὴν εἰς μητροπολιτικὸν ἀνήγαγε δίκαιον, διοριζομένῳ, τῷ θανάτῳ τοῦ τιμηθέντος μητροπολίτου, εἰς ἐπισκοπὴν κατασπᾶσθαι τὴν εἰρημένην ἐκκλησίαν.* quo quid fieri, aut fingi potuit abſurdius? Verùm non me præterit in Gallia Pro-

culum Maſſilienſem Viennenſis prouinciæ Epiſcopum, Concilij Taurinenſis decreto, Metropolitani auctoritatem in quoſdam ſecundæ Narbonenſis Epiſcopos hac lege retinuiſſe, vt eo defuncto eiuſmodi omnis poteſtas euaneſceret. ſed nimirum magnus ille vir, cuius celebris adhuc memoria, eo iure diu ſine vlla controuerſia vſus fuerat: *quapropter viſum Synodo, vt tanquam pater honore primatus filiis aſſiſteret, & quamuis vnitate prouinciæ minimè tenerentur, conſtringerentur tamen pietatis affectu.* nihil profectò ſimile habuit Græcorum ἀταξία.

Cæterum Demetrius, vt regiam ſacris in rebus authoritatem nobis oſtentet, veterem quandam ex libris Ioſephi profert inſcriptionem, qua Tiberius Cæſar Pontifex Max. appellatur. Id ipſum ingerit Balſamo can. *69.* ſextæ in Trullo. ridiculè nimis: maius illud quod Zoſimi auctoritate omnibus iampridem perſuaſum eſt; Principes omnes Chriſtianos, donec ad Imperium acceſſit Gratianus, Pontifices Maximos fuiſſe, & Pontificalem veſtem à Pontificum collegio accepiſſe. At ego Conſtantini (cui in Chriſti nomen ituro militauit cœlum) aliorúmque Principum Romanorum qui nefandæ ſuperſtitionis ſacrificia ſuſtulerunt, memoriæ tam inſignem ſuperſtitionis notam inuri hoc hominis adeò in Chriſtianam religionem in-

ſenſi teſtimonio, valdè iniquum arbitror. Equidem Pontificis nomen ab Imperatoribus Chriſtianis longo tempore vſurpatum non abnuo: nam Martianus act. iij. Concilij Chalcedon. edicto quo illius decreta approbantur *Pontifex Jnclytus* inſcribitur; in cuius Synodi acclamationibus non defuerunt hæ voces: *Pio & orthodoxo Jmperatori, Pontifici Jmperatori.* quod à Balſamone & Demetrio prætermiſſum miror. Et extat inter Pontificum Epiſtolas Anaſtaſij Imperatoris Epiſtola cum inſcriptione iſta: *Jmperator Cæſar Flauius Anaſtaſius Pontifex Jnclytus* &c. Denique legitur in veteri quodam monumento D. N. CAESAR IVSTINVS PIVS. FOELIX. VICTOR. TRIVMPHATOR. SEMPER. AVGVST. PONT. MAX. FRANCIC. MAX. Sed quis hæc putet latuiſſe eruditiſſimos Pontifices Gelaſium & Nicolaum? qui Chriſtianos tamen Principes numquam ſibi Pontificiam aſſumpſiſſe auctoritatem pulchrè aſſeuerant. A verò igitur non longè forſitan aberit qui inanem hunc titulum more antiquo, ne quid è formula omitteretur, nonnumquam inſcriptionibus & conſtitutionibus appoſitum cenſeat. hoc certè poſſum affirmare patres Chalcedonenſes voces illas emiſiſſe, non vt Pontificis honorem & dignitatem, ſed vt pietatem Martiani teſtarentur, &

*In auctario Lipſi pag 31.*

propenſum eius in religionem catholicam animum prædicarent. Nec alia fuit Auſonio mens qui Gratianum in panegyrico *religione Pontificem* dixit. ὁ πάλαι χρόνος (ait Synesius epiſtola lvij.) ἤνεγκε τοὺς αὐτοὺς ἱερέας τε καὶ κριτάς, διῴκισεν ὁ θεὸς τοὺς βίους· καὶ ὁ μὲν ἱερεύς, ὁ δὲ ἡγεμονικὸς ἀπεδείχθη; τί οὖν ἐπανάγεις; τί συνάπτειν πειρᾷ τὰ κεχωρισμένα παρὰ τοῦ θεοῦ. Diuiſa itaque, & diſcreta poteſtas Eccleſiaſtica à ciuili. ſed num ideò Princeps à rerum Eccleſiaſticarum cura penitus ſubmouendus? minimè verò: regia enim authoritas non ſolùm ad Eccleſiæ politiam, ſed ad ipſam etiam religionem tuendam perneceſſaria. Et idcirco Conſtantinus, quia primus in altiſſima Imperij ſede palam ſe Chriſtiani nominis tutorem & defenſorem profeſſus fuerat, hoc meruit in priſco quodam lapide elogium:

*pag. 159. in edit. Grut.*

IMP. CAES. FLAVIVS CONSTANTINVS AVG. PACIS ET IVSTITIAE CVLTOR PVB. QVIETIS FVND. RELIGIONIS ET FIDEI AVCTOR &c. quin imo Græci in Kalendario Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ eum τὸν ἐν βασιλεῦσιν ἀπόστολον & ἰσαπόστολον auſi ſunt appellare. Sed vidēdum ſemper vt Eccleſiæ dignitas incolumis conſeruetur: ſummum illa moderatorem Romanum Pontificem, & alios habet rectores; ſuas quoque retineat diœceſes, prouincias, parœcias: non deſunt noſtri, & priſci

temporis

temporis exempla, quæ diuerſos non raró in vtraque politia τύπυς teſtentur. Hieroſolymitani patriarchæ diœceſis & prouincia diſſimiles ciuilibus fuerunt. Duas habuit Viennenſes prouincias Eccleſia, vnam Reſpub. quam retinent adhuc omnes Galliarum Notitiæ. Iuſtinianus quatuor Armenias, vnamque ex Helenoponto & Ponto Polemoniaco, alteram ex Honoriade atque Paphlagonia prouinciam compoſuit. Sed ſuos certè non mutauit fines Eccleſia Nouell. xxviij. xxix. & xxxj. nihil in toto orbe Chriſtiano nunc frequentius: illa ipſa Lutetia vrbs regia, Chriſtianiſſimi regni caput, qua nihil hodie Sol videt auguſtius, manet in Senonenſi prouincia, *maximáque Franciæ metropolis* (ſic enim aliquot ante ſeculis in Beniamini Itinerario appellata eſt) antiquam adhuc Senonum metropolim obſeruat: In quo, quis Pariſienſis Epiſcopi modeſtiam, Conſtantinopolitani, Rauennatis, & aliorum ambitioni non anteponat? & egregium in retinenda veteri Eccleſiæ politia Regum Chriſtianiſſimorum ſtudium ſummis non efferat laudibus?

Profectò non debuerat à religioſis vnquam Principibus infringi, quod in Synodo Chalcedonenſi ea de re ſtatutum diximus; idque ne fieret, vnus in magna aſſentatorum turba Nicolaus Patriarcha Alexium Comnenum, erudita ſanè epi-

ſtola liberè hortari, & monere auſus eſt: περὶ τὰς πόλεις (ait ille) οὐ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἡ βασιλικὴ δωρεά. & paulò ante: ἔστι δὲ καὶ ἕτερος νόμος, οὕτω διεξιών. Τοὺς θείους κανόνας οὐκ ἔλαττον τῶν νόμων ἰσχύειν, οἱ νόμοι βούλονται. καὶ ὅπερ οἱ κανόνες κωλύουσι, τοῦτο καὶ οἱ νόμοι. Quatuor Synodos, Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam I. & Chalcedonenſem, inter leges à Iuſtiniano receptas Nouell. cxxxj. ſciunt omnes à libris noſtris mediocriter eruditî. Eas quoque, ne vnquam conſeneſcerent, ſed animis infixæ hærerent, ſacris olim Eccleſiarum diptycis aſcriptas, & in Eccleſia publicè recitatas apertè ſignificat l. 7. de ſum. Trinit. & fid. cath. (vbi mallem ἱερῶν διπτύχων potiùs quàm εἰρημένων ſcribere) ad quod reſpexit etiam idem Imperator in Nouell. cxv. qua permittit parentibus catholicis liberos exheredes facere, ſi prauis opinionibus imbuti à ſanctiſſima receſſerint Eccleſia: ἐν ᾗ πάντες οἱ μακαριώτατοι Πατριάρχαι τὰς ἁγίας τέσσαρας συνόδους περιπτύσσεσθαι, ἤγουν ἀναφέρειν, γινώσκονται: nam, περιπτύσσεσθαι, hîc circumplicare eſt, aut potiùs diptycis inſerere. quare ita vertendus erat locus ille: *In qua beatiſſimos Patriarchas ſanctas quatuor Synodos in diptycis deſcribere & publicè recitare compertum eſt:* πτύχας quippe habebant chartæ, ſeu χειρόγραφα illa; ideóque δίπτυχα, ſeu πολύπτυχα vocabantur. ὕμνων πτύχας non omnino diſſimili ratione

dixit Pindarus Olymp. I. Morem iſtum haud paruo tempore ſeruauit Eccleſia, quem à Iuſtiniano profectum (ſit hoc noſtræ ſecundæ diatribæ corolarium) paucis indicabo. Euagrius lib. iiij. cap. xj. ὑποτέθεικε (Iuſtinianus) καὶ τέσσαρας συνόδους ἐπὶ τῶν ἐκκλησιῶν κηρύττεσθαι. quod confirmatur in ſexta Synodo collat. ij. *Nam ſanctas quatuor Synodos maieſtas ipſius* (Iuſtinianum intelligit) *ſacris diptycis inſeri, & publicari fecit: quod ante Imperium ei diuinitus conceſſum non procedebat.* tempus quo id inſtitutum eſt indicat Victor Tunnunenſis in Chronico: *Juſtiniano Auguſto Coſſ. Orientales Eccleſiæ eiuſdem Principis iuſſione quatuor Synodos præſentibus ſacrificiis publica voce ſuſcipiunt recitari.* Nam multis poſt annis, vt ab ipſo Victore accepimus, conuenit quinta Synodus; quam, & alias omnes οἰκουμενικὰς in diptyca quoque poſteà relatas certum eſt. In Eccleſiis etiam publicè demum propoſitas colligi poteſt ex hoc Anaſtaſij bibliothecarij loco in vita Conſtantini Pont. Max. *Jmaginem* (ait) *quam Græci Panchartam vocant* (ſic enim legendum) *ſex continentem ſanctas, & vniuerſales Synodos, in Eccleſia beati Petri erexerunt.* nondum enim congregata ſeptima Synodus, quæ ſecunda Nicæna eſt. Et ſanè Græci Nou. cxv. & cxxxj. vbi de quatuor Synodis fit mentio, ἑπτὰ συνόδους ſemper ſcripſerunt,

porrò de canonum lectione agitur in Concil. Aurelian. iiij. cap. vj. & Matiſconenſi 1. cap. ix. atque hanc conſuetudinem non inutilem, puto, iudicabit, qui veræ religionis, & priſcæ diſciplinæ cognitionem homini Chriſtiano apprimè vtilem intelliget. laudo quod à Græcis dictum memini: οὐ χρὴ Ῥωμαῖον ἄνδρα νόμους (ταυτὸν ἐστιν εἰπεῖν καὶ κανόνας) ἀγνοεῖν. neglectis enim ſanctiſſimorum Conciliorum decretis, ipſa nutet religio, ordiniſque Eccleſiaſtici diſciplina omnis concidat, neceſſe eſt.

Hæc habui quæ de Eccleſiæ politia ſcriberem. Egi de Patriarchis & Primatibus, ſummamque oſtendi ſemper fuiſſe Pontificis Max. dignitatem & authoritatem: Cætera quæ ad Metropolitanos, Epiſcopos, & quos Plebanos, ſeu Parochos vocant, eorumque munera pertinent, à viris eruditis egregiè ſunt explicata, nec induſtriam meam deſiderant. Si quam verò rebus perobſcuris lucem videar attuliſſe, non leue me iam operæ pretium conſequutum arbitrabor: ſin contrà accidat; magnum eſt etiam voluiſſe.

FINIS DIATRIBÆ SECVNDAE.

# GRAECA LATINIS EXPRESSA.

## Diatriba Prima.

### Cap. I.

Pag.2. verſ.2. *IOVIS nimirum tale eſt Olympij intus Imperium.*

v.22. *Quod autem vrbes ſingulis terminis ſuis ac regionibus præſtant, hoc vrbs iſta toti orbi exhibet; vt commune omnis, quæ incolitur, terræ tanquam regionis oppidum. Quocirca videntur finitimi omnes per vicos diuiſi ad hanc arcem conuenire.*

Pag.3.v.3. *Omnibus aio ciuitatem donandam, vt huius participes nobis fideles ſint ſocij, noſtram quaſi vnicam vrbem ipſi quoque incolentes, eamque verè vrbem; ſuas autem ciuitates agros & vicos putantes.*

verſ.22.

*Tyberis, qui pulchram in duas partes ſcindit Romam;*
*Romam venerandam, meorum magnam domum Principum,*

*Matrem omnium vrbium.*

v. 23. *Nulla reuerentia ducti; vel quòd ſedes illa Apoſtolica eſſet: vel quòd Roma metropolis eſſet Romanæ ditionis.*

v. 27. *Ignis non vulgaris occupauit omnem ferè Romaniam, maximè Orientis partes.*

Pag. 4. verſ. 4. *Totius orbis metropolim.*

v. 5. *Omnium regionum & vrbium illuſtriſſimam Reginam.*

v. 12. *Vetus quandoque alterius ratione dicitur, vt vetus Roma ratione nouæ.*

verſ. 15.

*Nouam verè Romam,*
*Romam ſine rugis, numquam ſeneſcentem:*
*Romam ſemper iuueneſcentem, ſemper nouam.*

v. 19. *Conſtantinopolis tantò cæteris vrbibus maior eſt, quantò Româ minor videtur, & longè mea quidem ſententia præſtat eam ſecundo loco ponere, quàm reliquarum principem arbitrari.*

Pag. 5. verſ. 6. *Vos magnæ vrbis ciues, qui primi ſtatim poſt primam eſtis, aut ne id quidem conceditis.*

v. 11. *Sibi ipſi Colonia eſt ac metropolis, cùm tertia ſit ab antiqua.*

v. 16. *Qui poſterioribus ſeculis illuſtrem illam ex Italica Roma deduxerunt coloniam, & tam præ-*

*claro Byſantium auxerunt additamento, non ſunt à Peloponneſiis alieni.*

v. 22. *Veſtra gratia multas terras, magnas & beatas vrbes perluſtraui, tandémque ad noſtram metropolim perueni; non illa antiqua Megara intelligo, ex quibus accolæ quondam Boſphori migrarunt; ſed eam vrbem, quæ aliis ciuitatibus imperat, & cum veſtra huius eſt Imperij ſocia.*

Pag. 6. v. 1. *Annonam non ſolùm erogat, ſed auget, cùm eam non imminutam ſufficeret; atque ideò haud cogimur peregrinos quotidie expellere, vt in metropoli fieri conſueuit.*

verſ. 5.

*Magnarum vrbium metropolim.*

v. 10. *Cùm vellet Imperium veterem Romam transferre, dixit plus honoris deberi matribus, quàm filiabus.*

verſ. 18.

*Sic nuper coniunctio vrbium dirupta eſt,*
*Sic matrem & filiam inuaſit gladius*
*Diuidens cum framea iræ*
*Iuuenem, & pulcherrimam nouam Romam,*
*A rugoſa, veteri, & decrepita Roma.*

Pag. 7. verſ. 3.

*Vrbium radicem, quæ curæ eſt mortalibus.*

verſ. 21. *Hieroſolyma, quæ nunc vocatur Aelia Capitolina.*

Pag. 8. verſ. 3.

*Cum Jmperatore merito vrbs creſcit, Jmperio cœua.*

v. 16. *Iam enim non modò hanc appellationem vrbs ea adepta erat, Senatuque & ordinibus, ac magiſtratibus iiſdem vtebatur: verùm & inſignia ritu Romanorum qui Jtaliam incolunt, præferebat, & iura atque honores in omnibus vtrique pares & ſimiles erant.*

v. 25. *Nunc ambiguum erit quæ maior & illuſtrior ſit vrbs; vtrum ea quam Theodoſius Conſtantinopoli, an illa quam Conſtantinus Byſantio adiecit.*

Pag. 9. verſ. 8.

*Colonia beneficiis affecta Metropolim colit*

verſ. 17.

*Duos non protulit Soles natura,*
*Sed duas Romas totius orbis*
*Faces, veterem ſcilicet & nouam Romam;*
*Hoc inter ſe diſcrepantes,*
*Quòd hæc in Oriente, illa fulgeat in Occidente.*

verſ. 25.

*Jn hiſce gentibus vrbs Roma eſt;*
*Cuius nomen eius poteſtati conuenit:*
*Sydus commune totius orbis.*

## CAP. II.

Pag. 11. verſ. 17. *Quæ Orientis principatum tenet.*

verſ. 20.

*O viri totius orbis lumen ſplendidum;*
*Qui mundum, vt video, ſecundum incolitis,*
*Terræque, & maris decus induiſtis.*
*Noua Roma, altera nobilium ſedes;*
*Urbs Conſtantini, & columna Imperij.*

Pag. 12. v. 6. *Beneuolis opus habemus auditoribus, qui hanc veterum originum hiſtoriam benigniori animo accipiant.*

Verſ. 11. *Regiam habebant qui regioni præerant.*

v. 13. *Et in Syriam progredientes ad ipſam vſque Antiochiam, donec & illam cepere totius Orientis metropolim.*

v. 24. *Urbs eſt quæ Berytus vocatur ſub ditione Antiochiæ.*

Pag. 13. verſ. 17. *Hoc anno ab Alexandro Macedone condita eſt Alexandria, & hanc accepit appellationem totius Aegypti mater.*

v. 21. *Animaduerte Troiam citrà adiectionem hîc vrbem dici; quod Alexandrum* Homeri *ſtudioſum impulit, vt Alexandriam à ſe ipſo denominatam ita vocaret: hiſtoriis enim conſignatum eſt*

*eam ſine adiunćto per excellentiam initio vrbem appellatam.*

v. 26. *Aegyptus tanta natio, veſtræ corpus eſt ciuitatis.*

Pag. 14. verſ. 3. *Alexandria ciuitas eſt ampliſſima, & maxima hominum multitudine celebris; nec Aegypti ſolùm, verùm etiam Thebaidis & Libyæ, quæ Aegypto adiacent, principatum obtinet.*

Pag. 15. verſ. 2. *Non minùs literarum atque doctrinæ, quàm vrbium quibus præeſt & dominatur, metropolim.*

v. 21. *Heraclæa ſeu Perynthus, cui olim primas Europæ dederunt; nunc autem poſt Conſtantinopolim ſecundas tribuunt.*

Pag. 16. verſ. 4.

*Tibi me Thraciæ ſpoliatrix Theſſalonicæ*
*Mater omnis miſit Macedoniæ.*

verſ. 24. *Gentis Dacorum metropolis.*

Pag. 17. verſ. 3. *Theſſalonica vrbs eſt ampliſſima, & copioſa, Macedonibus attributa; Theſſaliæ, Achaiæ, & quamplurimis aliis populis, quos moderatur Præfectus prætorio illyrici, præpoſita.*

v. 11. *Cum milites turbas in vrbe (Theſſalonica) ob metata, ſeu hoſpitia excitaſſent, Theſſalonicenſes Imperatorem contumeliis inſequuti*

*ſunt, & magiſtratus quoſdam lapidibus obruerunt: At Jmperator, re cognita, iræ impatiens vrbis illius Præfecto facinus vindicandum commiſit.*

v. 24. *Claues portarum accipientes à Præfecto, Archiepiſcopo tradiderunt.*

Pag. 18. verſ. 13. *Alteri verò præfecto Macedones, & Theſſalos, & Cretenſes, & Græciam, & circum eam ſitas inſulas, & Epirum vtramque: & præter has Jllyrios, & Dacas, & Triballos, & Pannonios ad Valeriam vſque; præterea ſuperiorem Myſiam.*

Pag. 20. verſ. 1. *Quo tempore Sirmium oppidum in Pæonia ſitum à Scythis obſidebatur.*

verſ. 2. *Poſt vrbem captam.*

verſ. 18. *Regionis totius metropolim.*

verſ. 19. *Magiſtratuum habitacula.*

verſ. 17.

*Omnia breuiter, & dilucidè eloqui.*

## CAP. III.

Pag. 22. verſ. 22. *Nam nuper cum Eccleſiæ pace fruerentur, & populus in ſinaxibus preces faceret, Epiſcopus Romæ Liberius, & Paulinus Metropoleos Galliarum, & Dionyſius Metropoleos Jtaliæ à ſedibus ſuis abducti, & in exilium acti ſunt.*

v. 14. *Paulinus Epiſcopus Treuerorum, quæ Galliarum metropolis eſt, Dionyſius Mediolani; quod & ipſum metropolis eſt Jtaliæ.*

v. 21. *Primáque inter Occidentis vrbes poſt Romam hæc ciuitas eſſe creditur, & facilè cæteras anteire; vt magnitudine, ita & hominum copia, reliquiſque item fortunæ bonis.*

v. 23. *Mediolanum ampliſſima ciuitas, quæ cæteras Jtaliæ vrbes vt magnitudine, ita & hominum copia, ac reliquis fortunæ bonis facilè ſuperat.*

Pag. 25. verſ. 4. *Vobis autem ſic impero, diſcedatis quàm longiſſimè: edico item, iuróque ac denuncio capite pœnas daturum, ſi quis veſtrum poſthac intra centeſimum ab vrbe lapidem conſpicietur.*

Pag. 27. verſ. 1.

*Pauli Silentiarij in magnum prætorium exornatum.*

*Ornamentum Juſtinus Rex ſordidum purgans,*
*Etiam maxima iuſtitiæ illuſtrauit templa:*
*Tuis verò laboribus Domine triſtem noctem fugas*
*Ex Themidis domibus, ex vita mortalium.*

v. 20. *Jn Pannoniam reuerſus eſt, intráque vrbem Sirmium (quæ maxima omnium eius regionis habetur) ad vernam ſeſe expeditionem comparabat.*

Pag. 28. verſ. 2. *Carthago vrbs ſuprà Africam, ob virtutem Romanæ vrbis æmula; vrbs totam Italiam ornamentis ſuis depaſcens; vrbs propter id non prima, propter quod Romam veretur.*

verſ. 7. *Carthago metropolis Africæ, nobiliſſima ciuitas.*

Pag. 29. verſ. 4. *Præfectus prætorio in Tranſalpinis gentibus.*

v. 9. *Cúmque Treueris per aliquod tempus conſiſteret, quæ vrbs in Tranſalpinis gẽtibus maxima.*

Pag. 33. verſ. 5. *Omni eſt Gallia potitus ad Alpes vſque, quæ Italiam à Gallia ſeparant.*

v. 14. *Itaque Britanni ſumptis armis, & quouis adito pro ſalute ſua diſcrimine, ciuitates ſuas à barbaris imminentibus liberarunt. Itidem totus ille tractus Armorichus, cæteræque Gallorum prouinciæ Britannos imitatæ ſimili ſe modo liberarunt, eiectis magiſtratibus Romanis, & ſua quadam Repub. pro arbitrio conſtituta: Ita Britanniæ, Celticarúmque gentium defectio, quo tempore Conſtantinus iſte regnum vſurpabat, accidit; cùm ipſius in Imperio ſocordia excitati barbari graſſarentur.*

Pag. 35. verſ. 3. *Tarraco ciuitas commodè ſita ad magiſtratus excipiendos; eſtque Hiſpaniæ metro-*

*polis non tantùm intrà Iberum,ſed & magnæ partis eius quæ extrà eſt.*

## CAP. IV.

Pag. 39. verſ. 11.

*Siue etiam ipſa*
*Tarſus prima vrbs celebrata.*

verſ. 15. *Antiochia princeps vrbs Syriæ, quæ Cœle appellatur.*

verſ. 17. *Ipſa quæ Cœleſyriæ præſidet.*

Pag. 40. verſ. 14. *Syriæ vniuerſæ præerat; qui honos ea tempeſtate multò maximus erat: quippe etiam Phœnices, omniſque ad Euphratem regio Nigri ſuberat Imperio.*

verſ. 17. *Additamentum Syriæ*

verſ. 27. *Præſide Syriæ Quirino.*

Pag. 41. v. 13. *Hilarius ob eximiam virtutem celebris ab Imperatore toti Palæſtinæ cum imperio præfectus eſt.*

Pag. 42. verſ. 5.

*–quam coloni*
*Filij Auſoniorum, eximia vrbis Romæ lumina,*
*Berytum vocant, quod eſſet Lybano vicina*

v. 26. *Mos antiquus permaneat in Aegypto, & Libya, & Pentapoli.*

Pag. 43. verſ. 3. *Eccleſiæ Alexandrinæ, & dilectis fratribus, qui Aegyptum, Libyam, & Pentapolim incolunt.*

v. 8. *Vni Præfecto prætorio totam Aegyptum, cum Pentapoli, & Libya, & Orientem ad Meſopotamiam vſque, tradidit.*

v. 13. *Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Aegypto, Thebaide, Libya, Pentapoli.*

Pag. 46. verſ. 23. *Macedoniam primam, & ſecundam.*

## CAP. V.

Pag. 51. verſ. 6. *Dacas, & Triballos, & Pannonios ad Valeriam vſque.*

v. 21. *Epiſcopi Proconſulares electi ſunt.*

Pag. 52. verſ. 23. *Legatis prouinciarum Africanarum, id eſt, Numidiarum duarum, Biſacenæ, Mauritaniæ, & Sarianæ, ſed & Tripoleos, & Vincentio Coluſitano, Fortunatiano Neapolitano, & cæteris Epiſcopis prouinciæ proconſularis &c.*

Pag. 53. v. 27. *Arx olim erat ſeptum nomine, à Romanis ſuperiori ætate conſtructa, & propter Vandalorum incuriam vetuſtate collapſa; hanc muro Imperator Iuſtinianus, & præſidio firmauit.*

v. 6. *Septum vocant arcem, ob ſeptem conſpicuos in eo loco montes; ſeptum enim latina voce ſeptem exprimitur.*

Pag. 55. verſ. 14. *Mauritaniæ duæ, Tingitana & Cæſarienſis.*

Pag. 58. verſ. 8. *Enimuero quandiu Romanis*

*Reſpub. eadem ſemper manſit, intra Rhodanum fluuium in Gallos Imperio potitus eſt Imperator: vbi verò hanc Odacer in tyrannidem vertit; tunc demum Viſigothi, Tyranno permittente, vniuerſam Galliam ad vſque Alpes ſuæ ditionis fecerunt.*

Pag. 61. verſ. 20. *Aquitanos ab aliis Gallis planè differentes, non lingua modò, ſed & corporibus, Hiſpanis quàm Gallis ſimiliores.*

## CAP. VI.

Pag. 66. verſ. 1.

*Diuiſio patriæ*

*Quæ duas vrbes paruarum matres effecit.*

v. 3. *Vrbs mater Phœnicum.*

v. 4. *At verò in Mediterraneis eſt Capua metropolis; re vera caput, vt eius nomine ſignificatur.*

v. 14. *Tentate igitur primas habere inter ciuitates; primùm quidem vt illarum curam geratis, hoc enim tanquam metropoleos veſtrum peculiare officium.*

v. 23. *Appellaberis ciuitas Iuſtitiæ metropolis fidelis Sion.*

v. 25. *Arcem virtutis Iuſtitiæ metropolim.*

Pag. 67. verſ. 13. *Metropoles gentium.*

v. 19. *Qui eſt in maiori ciuitate, id eſt, in Metropoli.*

v. 24. *Prætereà ciuitates neceſſe erit ſuum ipſarum ordinem recipere.*

Pag. 68.

Pag. 68. verſ. 2. *Quæ ſit ciuitas & eorum metropolis, aut ſi ſit ei quæ primum dignitatis locum obtinet in honore proxima; ſi ampla & florens, ſi frequenti hominum multitudine referta, ſi ingeniis fœcunda &c.*

V. 21. *Multitudine autem, & magnitudine tanta, vt qui illic habitant poſſint viuere in otio, liberaliter ſimul & temperanter.*

V. 27. *Nam ſub ditione habet viginti quatuor pagos eiuſdem gentis.*

Pag. 69. verſ. 2. *Vrbem, omnémque eius regionem Perinthiis conceſſit: hi Byſantio vſi ſunt vt vico, & à nullo genere iniuriæ temperarunt.*

V. 24. *Quòd non oportet in villis & vicis Epiſcopos ordinari, ſed periodeutas, id eſt, circuitores conſtitui.*

Pag. 70. verſ. 4. *Nihil agere inſcio ciuitatis Epiſcopo.*

V. 17. *Palæbiſca autem & Ydrax in priſtinam conditionem redactæ ſunt, & ad Erythrum reuocatæ; decreto, vt aiunt, venerandi tui capitis.*

Pag. 71. verſ. 23. *Caſtella latinè arces appellant.*

verſ. 24. *Hoc loco arcem Iuſtinianus extruxit, cui nomen Burgonoſce.*

Pag. 72. verſ. 2. *Pitius & Sebaſtopolis inter caſtra potiùs quàm vrbes numerandæ ſunt.*

v. 9. *Munc ſolo æquatis vicorum muris aperto marte ciuitates obſident.*

Pag. 73. verſ. 15. *Qui Pagi vocantur.*

v. 15. *Regio ciuitatis eſt, nihilominùs poſſeſſorum quiſque dominus eſt rerum ſuarum.*

v. 17. *Multa poſſunt inueniri, quæ communiter quidem in acta publica retulit ciuitas, diuiſa autem ſunt in ſingulos per partes; per totum verò minimè.*

Pag. 74. verſ. 1. *Dimenſi omnem terram, & pontibus variis fluuios iungentes.*

## C A P. VII.

Pag. 75. verſ. 11. *O Regie Juppiter, ô parens hominum, ô præſes & Orientalis, & Occidentalis Romæ: ſerues vrbes geminas, ſerues geminos Jmperatores; qui tuam voluntatem obſeruant.*

verſ. 19. *Quare occupemus quamprimùm Romam, larem ipſum Jmperij.*

Pag. 76. verſ. 4. *Sed vt in ſingulis fit vrbibus, ita vos totum orbem vt vnam ciuitatem adminiſtrantes, omnibus populis magiſtratus datis.*

verſ. 11. *Neque enim vnius tantùm hominis peculiaris poſſeſſio principatus eſt, ſed communis antiquitùs totius populi Romani: ſiquidem in*

*illa vrbe ſita eſt Jmperij fortuna, nobis autem diſpenſatio tantùm atque adminiſtratio principatus vnà vobiſcum demandata eſt.*

v. 16. *Quapropter illic poſt latam in vrbe ſententiam ad alios iudices adire non licet, ſed eſt iudicato aquieſcendum; niſi fortè in minori aliquo oppido ſit opus externis Iudicibus, cùm quis vel immeritò reus peragitur, vel actor cauſam non obtinet, nec ſic certa conſtat victoria; quandoquidem alius reſtat magnus Iudex, quem nullum ius vnquam latet.*

verſ. 24. *Data extrà vrbem iudicia.*

Pag. 77. verſ. 15. *Nemo ita merum imperium obtinere debet, vt non ab eo prouocari poſſit.*

v. 20. *Sic igitur Jmperatoris nomen reſpuit, Judicis verò amplectitur; quia illud potentiæ, hoc verò ſapientiæ vocabulum eſt.*

Pag. 79. verſ. 4. *Vos, vt in diebus ſolemnibus, togas & calceos mutaueritis vnà in ſellis ſedentes.*

Pag. 80. verſ. 1. *Roma autem illic eſt vbi Imperator.*

v. 3. *Proficiſcetur ergo ad vrbem in qua Jmperator moratur, quia vbi Jmperator eſt, illic etiam ſit fortuna.*

Pag. 82. verſ. 15. *Senatus Romanus cenſuit vt Plynthas ad ipſos legatus mitteretur.*

v. 18. *Rei militaris ſcientiam Romanorum propriam eſſe, eorúmque præcipuè qui ſenatoriam ſortiti ſunt dignitatem.*

Pag. 84. verſ. 15. *Cenſebant oportere nullam poſthac rogationem ad populum ferri Senatu inconſulto; quod olim obſeruatum fuerat, ſed pridem exoleuerat.*

v. 23. *Quod Senatuſconſultum cùm Imperator ratum habuiſſet.*

Pag. 85. verſ. 14. *Quibus curæ Romana res eſt, quotiens de Imperio ambigitur.*

v. 19. *Honorem integrum conſerua, tantum verò authoritatis detrahe, vt neque eorum minuas dignitatem, neque rerum nouarum cupidis aliquid moliendi facultatem relinquas.*

v. 27. *In eo igitur conſiſtit orationis huius gratia & diei celebritas, vt anni appellatio fœlix & auſpicata appareat.*

Pag. 86. verſ. 13. *Imperij partim præmium facitis (Conſulatum) partim principium.*

v. 15. *Fœlix Conſulum par.*

## CAP. VIII.

Pag. 88. verſ. 6. *Conſtantius mandatum dat Philippo Præfecto: quippe qui maiorem cæteris magiſtratibus poteſtatem obtineret, & ſecundus ab Imperatore haberetur.*

v. 18. *Per Deum obteſtamur naucleros omnes, vt hæc omnia vbique prædicent, & ad aures piiſſimi Auguſti; ad præfectos etiam, & locorum Iudices perferant.*

Pag. 89. verſ. 89. *In foro cuiuſque Diœceſeos glorioſiſſimorum noſtrorum Præfectorum palam fieri.*

v. 21. *Annonarum erogationes ab eo fiebant.*

Pag. 90. verſ. 10. *Nunc Deus ex vrbe regia virum, cui totius nationis adminiſtratio credita erat, ſapientia ſublimem, generis claritate, vitæ ſplendore, dicendi facultate, & rebus quæ ad ciuilem vitam pertinent, illuſtrem; ad Chriſtiani gregis curam pertraxit.*

Pag. 92. verſ. 14. *In eum quoque tractus Pontici Vicarium excitat.*

verſ. 19. Υπαρχος, *magiſtratus qui alterius magiſtratus vicem gerit.*

Pag. 93. verſ. 15. *Comitem Orientis creauit; cuius magiſtratus ea poteſtas eſt, vt qui eum gerit, omnibus prouincias Orientis adminiſtrantibus præſit; & quæ malè ac perperam fiunt corrigat, & emendet.*

v. 26. *Mecum reputo quod ſi quid iuſſiſſet Imperator, aut infœlix aliquis Auguſtalis, niſi paruiſſem pœnas dediſſem.*

Pag. 94. verſ. 11.

*Sepulchrum quod vetuſtas non intellecta aboleuit, Aſiæ Conſul Maximus reſtituit, & ornauit.*

v. 15. *Eſt prouincia illuſtris, neque Præfecti prætorio Jmperio ſubiecta,*

Pag. 95. verſ. 7. *Quòd populum moderetur, videátque vt legibus congruenter viuat: vnde Athenienſes ἁρμοστῆρας eos olim dixerunt, qui ciues in recta viuendi ratione continebant.*

Pag. 95. verſ. 27. *Creans eum Proconſulem Aſiæ, quæ propria appellatur: ea nunc à Pergamo maritimam oram complexa in continentem Caria tenus deſinit, & fines eius qui Lydiam attingunt, Tmolus circumſcribit.*

Pag. 96. verſ. 14. *Qui medias dignitates obtinent.*

Pag. 98. verſ. 23. *Non poterat quis ad tribunal dicere, aduerſus ſententiam tuam appello, propter eminentiam dignitatis eius.*

## Cap. IX.

Pag. 100. verſ. 11. *Metropoleon magiſtratus.*

v. 25. *Petieras literas ad ordinarium magiſtratum.*

Pag. 101. verſ. 6. *Cùm Palæſtina ad hunc eſſet magiſtratum (vt appellant) ordinarium delata.*

Pag. 102. verſ. 25. *Magiſtratus magiſtratuũ.*

Pag. 103. verſ. 8. *Gladium quoad fieri poteſt incruentum conſeruans.*

v. 9. *Tormentorum machinam.*

v. 10. *Terrorem improbis te diuina lex conſtituit.*

Pag. 105. verſ. 21. *Quoniam ex eo tempore in crucem egiſſe, & pœnas inflixiſſe dicuntur Iudices, quo ſententiam pronunciauerint: propterea quod poteſtas ſupplicij & necis in eorum lingua verſatur.*

Pag. 107. verſ. 3. *Jus gladij.*

Pag. 111. verſ. 5. *Paganorum impietatem puniunt Præſides, & de his quæ ſuprà poteſtatem ſunt referunt ad Jmperatorem.*

Pag. 112. verſ. 13. *Progreditur cum ſuo comitatu.*

v. 25. *Jpſe Præfectus in maritimis hyemare ſolet ius dicens, maximè Carthagine aut Tarracone: per æſtatem obit prouinciam, inſpiciens quæ quouis tempore emendationem deſiderant.*

## CAP. X.

Pag. 116. verſ. 7. *A verbo τηρεῖν, quod eſt ſeruare, ſeu locum eorum à quibus mittuntur implere.*

v. 12. & 13. *Viles. Circumforaneos.*

verſ. 21. *Qui apud nos geſſerunt maiorem, & minorem, & Aegyptiorum magiſtratum.*

Pag. 117. verſ. 5. *De Comite ſcripſeras; eum intelligo qui militum præfecturam in patria eſt adeptus.*

verſ. 20. *Album ciuitatum.*

v. 22. *In quo Senatorum & militum nomina ſcripta erant.*

v. 27. *Ponè Imperatorem erant ſigna lectiſſimi exercitus : hæc autem ſunt, Aquilæ aureæ, Principum imagines, & militum matriculæ aureis literis deſcriptæ.*

Pag. 11. v. 3. *Decurionum catalogus.*

Pag. 119. verſ. 3. *Regiæ vrbis exemplo.*

Pag. 120. verſ. 19. *Ad Decurionum catalogum ducentos addidi.*

v. 20. *Catalogum veſtrum auximus.*

Pag. 123. v. 6. *Smyrna cùm de templis, & eorum iuribus orta eſſet controuerſia, Syndicum fecerat Polemonem, cuius vita ſpectabat ad exitum : itaque, poſtquam inſtituta pro tuendis his iuribus profectione è viuis exceſſit, alios habuit ciuitas ſyndicos; qui cùm malè, & inconditè cauſam in Principis conſiſtorio agerent, ille ad aduocatos qui ſyndicis aderant reſpiciens; num Polemon, ait, ſyndicus vobis conſtitutus eſt?*

v. 15. *Reipublicæ patres.*

v. 13. *Si alicuius Senator es ciuitatis; ſi iuuenis, iuuenem eſſe te memineris; ſi ſenex, ſenem; ſi*

pater,

*pater, patrem.*

Pag. 124. verſ. 18. *Decurionem à vobis nominatum priuſquam albo aſcriberetur, incerto adhuc Curiæ decreto, ſuſcepiſtis; & * cùm alij ſe pro eo muneribus obeundis obligaſſent, in forum pertraxiſtis, hominem egenum, ex his qui planè ab omni fortuna, & ſpe derelicti ſunt.*

* *& cùm aliis pro eo ſint munera obeunda.*

Pag. 126. verſ. 3. *Qui grauiſſimo poſſeſſionum onere ad tempus Iudicum ſententia aut Principum benignitate leuati erant.*

Pag. 128. verſ. 20. *Judicium ad quem? ad Quæſtorem? non ibi. Sed vbi? ad Proconſulem? nec ibi. ſed ad Magiſtratus ex ſubſcriptione Præſidis prouinciæ. Quale autem eſt ipſum negocium? non valde magnum; eſt enim pecuniarum, vt totum ſcias.*

Pag. 130. verſ. 8. *Magiſtratus dignitatem imitantur.*

Pag. 131. v. 22. *Quòd autem in Decurionibus, & meum fratrem vis numerare, nec deles familiam ex improbis illis libris; etiam ſi quid ex veteri calamitate antè factum fuerit, iſtud certè aio te non Themiſtoclis exemplo facere.*

v. 27. *Reddito mihi fratrem, qui an eam ob cauſam abſit, Deus nouit.*

Pag. 132. verſ. 11. *Liber eſt qui viuit vt vult,*

*qui nec cogi, nec prohiberi, nec vim pati poteſt.*

v. 17. *Decurio dignitas quædam erat, ſeu potiùs munus & onus ciuile: quo honore præditi cogebantur rebus in foro venalibus proſpicere; & inde multis ſæpè periculum propter caritatem annonæ creatum eſt.*

Pag. 133. verſ. 15. *Duplici fungens munere; partim quidem ob patrimonium, partim autem ob magiſtratum quem geſſit.*

v. 22. *Omnibus verò ciuitatibus, ſed magnis præcipuè, diuitibus Decurionibus opus eſt, vt legitimos iſtos ſumptus ſuppeditent & largiantur.*

Pag. 136. verſ. 3. *A nonnullis* Πάγαρχοι *appellantur qui vicis, aut locis quibuſdam præſunt.*

## CAP. XI.

v. 14. *Coloſſorum magnitudinem paruus annulus habet expreſſam.*

v. 18. *Roſas comedit.*

Pag. 137. v. 8. *Quædam ſunt ciuitatum animæ.*

v. 12. *Romanorum Reſpub. præclarè quidem conſtituta eſt, ſed magiſtratus quibus ea non eſt quæ priſcis fuit virtus & integritas, eam labefactant & euertunt.*

v. 22. *In ſuas præfecturas Cæſar ipſe Rectores mittit, aliàs aliter regiones diuidens, & vt tempus exigit Rempub. adminiſtrans. In ſuas etiam*

*prouincias populus Prætores vel Conſulares mittit: ſed & hæ diuersè ſolent diuidi pro vt commodum, & è re viſum fuerit.*

Pag. 138. v. 1. *Prouincias autem hoc modo recenſui, quoniam ſuum nunc quæuis habet Præſidem; cùm antiquitus duæ vel tres ſimul ab vno regerentur.*

v. 20. *Armeniam & Cappadociam in plures Cappadocias & Armenias veteres diuidunt.*

Pag. 139. verſ. 7. *Enimuero Geographum ea perſequi conuenit quæ natura ipſa diſtinxit, aut per gentes diuiſa ſunt, vel ſi quid memoria dignum occurrat; quæ verò Principes pro ratione temporum variè conſtituunt, ſatis eſt ſi breuiter & ſummatim indicata fuerint.*

Pag. 140. verſ. 18. *Regem vnius ciuitatis, aut paruæ partis Peloponneſi, egenum quidem illum, & egenis imperantem conferas cum omnis ferè terræ & maris Principe; cuius virtute & Oriens & Occidens Romanis ſuiicitur.*

# Diatriba Secunda.

## CAP. I.

Pag. 42. verſ. 10. *Ambitionis amorem vehementem, & acrem eſſe; humanóque generi atrociùs imperare.*

Pag. 143. verſ. 8. *Auguſtus magnam hominum qui in terris habitant partem, ad æquabilem vnius Imperij formam redegit.*

verſ. 16. *Imperium Romanum diuiſione quodammodo iugulatum, & monarchia reſtituta qualis fuit Auguſti temporibus, ad vitam reuocatum videri.*

v. 26. *Ego volo, & neceſſitas mihi diuina eſt legem exiſtimare quidquid ſedes illa decreuerit.*

Pag. 144. verſ. 24. *Honos nullus magis regalis.*

Pag. 145. verſ. 1. *Solis Imperatoribus & Patriarchis per gratiam Spiritus ſancti, & acceptam antiquitus conſuetudinem atque ordinem, ius hoc eſſe conceſſum.*

Pag. 146. verſ. 1. *Accidit vt Iudas Patriarcha Ioſepho præmij loco tribueret* ἀποστολῆς, *hoc eſt tributi Iudaici perceptionem, meliùs fortè exactionem.*

verſ. 8. *Ille cum literis mittitur in Ciliciam; eò cum perueniſſet per ſingulas ciuitates à Iudæis qui in ea ſunt prouincia decimas & primitias exegit.*

v. 12. *Iulium Patriarcham fratrem obſeruandiſſimum hortatus ſum vt tributum quod à vobis* ἀποστολὴ *dicitur, prohiberet.*

Pag. 147. verſ. 6. *Ciuitas veſtra magnitudine & loco immenſum quantùm differt, & apertè ſe-*

*cundas obtinet partes inter omnes quæ ſunt ſub Sole.*

v. 10. *Ille quidem vnicum ingenio ſuo dignum opus & monumentum reliquit, cognominem in Ægypto vrbem, eamque rectè vobis extruxit; vt omnium poſt veſtram maximæ imperetis.*

v. 13. *Pulchra vrbs.*

verſ. 16. *Antiochia Syriæ metropolis eſt, quæ propter magnitudinem, & rerum copiam tertium locum inter omnes orbis Romani ciuitates obtinet.*

verſ. 20. *Sedem Imperij ſui Geta deſtinabat Antiochiam, vel Alexandriam; vrbes magnitudine haud longè, vt quidem exiſtimabat, infrà Romam.*

Pag. 148. verſ. 24. *An tu ignoras ſummum totius orbis vbicumque terrarum ſacerdotem & Antiſtitem?*

Pag. 149. verſ. 1. *Priſci Imperatores priuilegia ſedi Conſtantinopolitanæ tribuerunt; & maximè Synodus Chalcedonenſis, quæ in primum Epiſcopatum illam euexit, omnéſque per orbem terrarum ei Diœceſes ſubiecit.*

verſ. 27. *Qui Imperante Conſtantino Magno ab eodem factus eſt Patriarcha Conſtantinopoleos.*

Pag. 150. verſ. 13. *Omnium Eccleſiarum mater.*

Pag. 151. verſ. 10. *Archiepiſcopi nimirum*

*principia & capita multorum Epiſcoporum ; quod idem eſt ac ſi dixeris, patres & Patriarchæ.*

v. 23. *Gothiæ quidem Antiſtes non propterea vocatur Archiepiſcopus quòd Epiſcoporum Princeps & ordinator ſit ; ſed quòd primus Epiſcoporum : quippe à ſanctis patribus eſt ſancitum, vt diœceſes in quibus ſunt vrbes ſub Epiſcoporum gubernatione conſtitutæ, à Metropolitanis regantur ; quos etiam ipſi Canones primos appellant : quæ verò ciuitates quaſdam attributas non habent quibus præſint Epiſcopi, ab Archiepiſcopis adminiſtrentur ; ita vt hæ quidem cedant Metropolibus, ſed Epiſcopatibus præſtent.*

Pag. 152. verſ. 12. *Præſente ſanctiſsimo, & Deo amantiſsimo Johanne Epiſcopo Antiochiæ Metropoleos Orientis Diœceſeos.*

v. 24. *Exarchum Diœceſeos conueniat.*

verſ. 21. *Sententia, ſiue Definitio Thomæ Metropolitæ Tyri Primatis, & Exarchi, & Vicarij Antiochiæ.*

## Cap. II.

Pag. 156. verſ. 18. *Ex eo tempore Cyprus metropolis facta ; nec iam amplius ſub Antiochia, ſed Conſtantinopoli attributa eſt.*

Pag. 157. verſ. 10. *Ut noua Juſtinianopolis ius obtineat Conſtantiæ ciuitatis.*

verſ. 26. *Exceptis quibuſdam Archiepiſcopis, qui caput ſibi ipſis ſunt; Bulgariæ, inquam, & Cypri.*

Pag. 159. verſ. 11. *Hic enim mos obtinet, vt Alexandriæ Epiſcopus totius Aegypti ac Thebaidis, Maræotæque, ac Libyæ, Ammoniacæque, Maræotidis, ac Pentapoleos Eccleſiaſticam habeat adminiſtrationem.*

Pag. 160. verſ. 12. *Atque hoc modo proſpexit non illi ſolùm ciuitati (Conſtantinopoli) verùm etiam toti Thraciæ, & cunctæ etiam Aſiæ: Ponticam præterea Eccleſiam iiſdem legibus ornauit.*

v. 23. *Itaque Ponticæ, Aſianæ, & Thraciæ ſoli Metropolitani, ac præterea diœceſeon prædictarum Epiſcopi qui inter barbaros ſunt, à ſanctiſsima creentur Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſede.*

Pag. 162. v. 3. *Aetius Epiſcopus dixit: Non ignoratis qualis, & quanta ſit Theſſalonicenſium Metropolis: ſæpè igitur ad eam confluunt ex aliis prouinciis presbyteri & Diaconi.*

verſ. 11. *Alexander Theſſalonicæ per eos qui ſub ipſius poteſtate ſunt, Eccleſiis Macedoniæ primæ & ſecundæ cum omni Græcia; totius etiam Europæ, vtriuſque Scythiæ, omnibúſque Illyrici, Theſſaliæ, & Achaiæ Eccleſiis.*

Pag. 163. verſ. 1. *Magna planè vrbs eſt, atque hominum multitudine referta; totius nempe*

*regionis metropolis, Illyricorum prætereà Archiepiſcopum ſortita, & quæ propter magnitudinem reliquis aliis ciuitatibus antecellit.*

v. 9. *Metropolitanus Cæſareæ Cappadociæ honoratiſſimorum honoratiſſimus, & totius Orientis Exarchus. Metropolitanus Epheſi honoratiſſimus, & totius Aſiæ Exarchus. Metropolitanus* Hera*cleæ honoratiſſimorum Antiſtes, totius Thraciæ, atque Macedoniæ Exarchus.*

## CAP. III.

Pag. 164. verſ. 16. *Romano Epiſcopo datum hoc eſt, videlicet Occidenti præeſſe.*

Pag. 165. verſ. 3. *Hæc Eccleſiæ lex. Lex ſacerdotalis.*

Pag. 165. verſ. 9. *Apoſtolorum ſcholam, & pietatis Metropolim.*

v. 12. *At cùm propter ſedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit.*

v. 23. *Omnium Eccleſiarum curam habere.*

Pag. 166. verſ. 23. *Vetus vigeat mos in Aegypto, & Libya, & Pentapoli obſeruatus, vt horum omnium poteſtatem habeat Epiſcopus Alexandrinus; quia & hæc vrbis Romæ Epiſcopo conſuetudo eſt.*

Pag. 172. verſ. 27. *Simplex & apertus eſt veritatis ſermo.*

CAP.

## CAP. IV.

Pag. 175. verſ. 11. *Sol vbi radios ſuos emiſit aſtrorum choros, tegit lunæque ſplendorem obſcurat luminum iſtorum immodico fulgore conſpectum eripiens.*

Pag. 179. verſ. 4. *Rauenna metropolis Flaminiæ priſca ciuitas.*

Pag. 180. verſ. 11. *Fabuloſus ille Salmoneus præ iſto nihil fuit.*

Pag. 183. verſ. 6. *Primæ cathedræ Epiſcopi.*

verſ. 9. *Statuit vt Patriarchæ cuiuſque diæceſeos vna mente conſentirent: ſingularum verò ciuitatum Epiſcopi ſuis parerent Metropolitanis.*

v. 17. *Jus Primatus quod Epiſcopo Juſtinianæ Carthaginis Africanæ Diœceſeos dedimus, ex quo Deus hanc nobis reſtituit, ſeruari iubemus.*

v. 26. *Neceſſe habes omnes ipſe Eccleſias fulcire; vnde nos tibi poteſtatem non damus, ſed probamus vt ex tua pendeat voluntate; adeò vt liceat tibi quod viſum fuerit ſtatuere, & Eccleſiarum moderatores deligere.*

Pag. 185. verſ. 16. *Epigonus Epiſcopus dixit: bonitas & moderatio tua temperat authoritatem; minus audes quam potes frater, cùm te ipſum bonum & humanum omnibus demonſtres.*

Pag. 187. verſ. 6. *Jn eius ſit poteſtate vt de latere ſuo presbyterum mittat.*

Pag. 189. verſ. 27. *Ex eo tempore quod erat ſub illius ( Conſtantini ) ditione in* Honorij *poteſtatem rediit, & magiſtratibus ab eo conſtitutis paruit.*

Pag. 197. v. 10. *Si autem vobis Metropoleos nomen ſit peculiare, primarum verò partium commune; an ideò deterior veſtra erit conditio?*

## CAP. V.

Pag. 203. verſ. 18. *Decretum paræciarum quas adminiſtrabat Jrenæus.*

Pag. 205. verſ. 25. *Jnſignis & clara metropolis.*

Pag. 206. verſ. 26. *Non oportet ſeruum liberam habere ſententiam.*

## CAP. VI.

Pag. 217. verſ. 8. *Verè ſanctus & Epiſcoporum pater.*

v. 10. *Si quæ nunc & in poſterum noua fiat principali auctoritate ciuitas; publicas & ciuiles eccleſiaſticarum formas paræciarum ordo ſubſequatur.*

v. 25. *Renunciatum nobis eſt quoſdam, qui præter Eccleſiæ leges & inſtituta authoritatem & potentiam ambitiosè aſſequuti fuerant, vnam impetratis pragmaticis prouinciam in duas diuiſiſſe;*

*ita vt ex hoc duo ſint in eadem prouincia Metropolitani. ſtatuit ſancta Synodus ne quid tale deinceps audeat Epiſcopus; adeò vt ſi quis id moliatur proprio gradu excidat.*

Pag. 218. verſ. 24. *Ille enim æquum eſſe dicebat vt noſtræ diœceſes ſimul cum ciuilibus & publicis diuiderentur: hic contrà antiquæ conſuetudini, & diuiſioni quæ à patribus olim facta fuerat, inhærendum contendebat.*

Pag. 219. v. 7. *Siquidem prouincia caput aliud haberet, ad illud clamare, ipſiuſque opem obteſtari oporteret: cùm autem pietas tua ei ſit præpoſita, ad te reſpicere neceſſe eſt: Eccleſiam tuam vti voles cura.*

Pag. 220. verſ. 15. *Muciſſus ciuitas ſecundæ Cappadociæ.*

v. 20. *Secundæ verò Cappadociæ Tyana metropolis, & tertiæ Mucicyſſus: Cappadocia enim ſecunda, cùm priùs vna eſſet, in duas ac poſteà in tres diuiſa eſt: hæc ideò à Valente Imperatore facta ſunt vt Baſilio dolorem inureret.*

Pag. 221. verſ. 11. *A minore dignitate etiam ad maiorem promouet Imperator; ab Epiſcopatu nimirum in Metropolim; ſeu viri virtutem ſeu ciuitatem exornans.*

v. 19. *Niſi fortè temporarium & perſonale beneficium ab Imperatore aliquo conceſſum fuerit.*

v. 22. *Inſtrumento ſe tuetur fœlicis memoriæ Principis Ducæ, qui Epiſcopatum Baſilæi iure Metropolitano donauit: quo ſcripto ſancitum eſt, vt eo extincto qui Metropolitani honorem conſequutus fuerat, Eccleſia ad Epiſcopatus ſtatum reuocaretur.*

Pag. 224. verſ. 4. *Priſcum tempus eoſdem tulit ſacerdotes & Iudices: diſiunxit Deus vitas; & vna facta eſt Eccleſiaſtica, altera ciuilis. quid igitur reuocas? quid porrò coniungere tentas quæ ſeparata ſunt à Deo?*

v. 22. *Inter Reges Apoſtolum, & Apoſtolis æqualem.*

Pag. 226. verſ. 2. *Ad ciuitates non ad Eccleſias Imperatoris beneficium pertinet.*

v. 3. *Lex item extat alia cuius hæc verba ſunt: canonum non minorem quàm legum eſſe authoritatem legibus conſtitutum eſt: quod vetant canones vetant leges.*

v. 27. *Hymnorum plicas.*

Pag. 227. verſ. 5. *Iuſtinianus conſtituit vt quatuor Concilia in Eccleſiis prædicarentur.*

Pag. 228. verſ. 6. *Non decet hominem Romanum leges, hoc eſt & canones ignorare.*

*FINIS.*

# INDEX
# AVCTORVM
## QVI IN HIS DIATRIBIS
### CITANTVR, EXPLICANTVR,
EMENDANTVR.

A

ACHILLES Tatius. 66
Ado reprehenditur, 28
Acro. 49
Aethicus. 49.73
Aimoinus. 202.214
Ambroſius. 41.120
Ammianus. 11.12.27.29.32.36.42.51.55.61.64.89.197
Anacleti Pont. Max. Epiſtola. 67
Anaſtaſius. 180.212
Anaſtaſius Imperator. 223
Andreas Cæſarienſis. 143
Antonini Itinerarium reſtitutum. 52
Antonius Monachus. 156
Appianus. 83.84
Ariſtides. 2, bis. 5.74.76, bis.77.147
Ariſtoteles. 68
Arrianus Epicteti. 123

Aſconius. 7

